Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Michael Heinrich Gribner

Mich. Henr. Gribneri ICti Potentiss. Polon. Rec. ... Principia Ivrisprvdentiae Privatae Avditoribvs Olim Vitembergensibvs

Vitembergae: Schlomachianus, 1745

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

~~XXX. XIV.~~

Pr. Cons. p. 1 – 272 Fud

30. b. 10.

Je – 3173.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn814422616/phys_0002
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0003
DFG

MICH. HENR. GRIBNERI

ICTI

POTENTISS. POLON. REC. A CONSILIIS
AVLAE ATQVE IVSTITIAE ET ANTECESSORIS
PRIMARII ETC. IN ACADEMIA LIPSIENSI
ANTEA VERO IN VITEMBERGENSI PROF
PVBLICI ET COLLEGIOR. IVRIDICOR
ASSESSORIS

PRINCIPIA IVRISPRVDENTIAE PRIVATAE

AVDITORIBVS OLIM VITEMBERGENSIBVS
TRADITA

NVNC VERO
POST FATA DIVI AVTORIS
ACCVRANTE

CHRISTIANO HANACCIO D
IN ACADEMIA VITEMBERG. INSTITVT. P. P
CVRIAE PROVINC. SCABINATVS ATQVE
ORD. ICTOR. ASSESSORE

IN VSVM ACADEMICVM SVORVMQVE AVDITORVM
PVBLICI IVRIS FACTA



VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHLOMACHIANA
CIↃ IↃCC XXXXV

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

BENEVOLO LECTORI

S. D. P.

CHRIST. HANACCIVS, D.

Clariſſimum eſt b. GRIBNERI nomen, inter primi quoque ordinis ICtos, quos aetas uidit noſtra. Quod ſcripſit ille publice, quod dixit, in ſcholis ſuis et eruditorum circulis, quod, in ipſis rerum argumentis, maximique momenti negotiis publicis, adminiſtrauit, omnia praeclare geſſit, limatumque in illis ac politum probauit iudicium ſubactumque ingenium.

)(Cum

Cum his literarum etiam coniunxit elegantiam, atque omnis doctrinae copiam, sine omni tamen ostentatione uanoque gloriolae studio. Inclaruit uero initio, hic in primis Vitembergae, ubi spartam suam academicam egregie ornans, in omni Iurisprudentiae parte, principia, uulgaribus meliora, tradere auditoribus studuit, uel emendando autores, quos sibi sumpserat explicandos, uel suo Marte integras adornando institutiones. Huius generis opera feliciter effecit, ut *principia* nunc habeamus et *Iurisprudentiae naturalis*, et *Processus iudiciarii*, satis accurata, quae communem hucdum obtinuerunt applausum, in academiis. Sed neque praesens hoc opusculum posthumum, quod istis, si non omnino par, certe tamen secundum, atque b. autore haud indignum, ab aequis artis nostrae magistris, iudicabitur, publico usui inuidendum est.

Hoc

Hoc ipse Autor *Principia Iurisprudentiae priuatae* inscripsit, idemque olim, eo quidem tempore, quo in academia nostra Institutionum erat Prof. Publ. ex instituto elaboratum, auditoribus suis in calamum dedit, publici uero iuris postea non fecit. Mox enim, ex academia nostra, in Aulam uocatus regiam, in paullo grauioribus negotiis publicis enucleandis, diu multumque sudauit, nec deinceps, Lipsiae, ICtus primarius, Institutiones, siue priuati iuris elementa, docuit, neque a negotiis atque laboribus ita uacasse creditur, ut istius pensi Vitembergensis, quod ipsi iam dudum, multisque ante annis, exciderat, recordaretur, imo nec ipse depositum hoc, ab auditoribus Vitembergensibus unquam repeturus uidebatur. Verum ego, inter depositarios illos, equidem non dicam, primus, neque tamen, ultimus, de thesauro hoc Gribneriano, qui

hucdum latuit, ope trium exemplarium, unius in primis, ex autographo autoris descripti, exponendo, iure meritoque nunc tandem cogito. Eadem enim, in hac academia, iurisprudentiae priuatae principia docendi, clementissime mihi demandata est prouincia, qua olim B. quoque GRIBNERVS, apud nos, summa cum laude, functus est, eandemque emendatrici sua manu ac industria, singulariter excoluit. Quare et tanti praeceptoris insistere uestigiis, et eodem in futuris, quas publicum mihi munus designat, *praelectionibus*, perpetuo uti duce, eo libentius constitui, quo magis persuasum habeo, meliorem atque, ad tradenda iurisprudentiae romano-germanicae elementa, aptiorem haud reperiri. Etenim accuratam iuris romani theoriam ad forum germanicum applicat, uulgares sententias probe examinat, ipsumque ius iustinia-

ſtinianeum, ex iure cum uniuerſali, tum publico Imperii, emendat, rerumque, ad fundamenta iuriſprudentiae priuatae pertinentium, optimo delectu, ſuperflua pariter, atque popularem oſcitantiam, cauet, pro iudicii ingeniique ſui acumine, complurima admodum ſingularia argumenta pertractat, quae, apud alios autores, uix inuenies, legum atque autorum apparatu ſuperſedet partim, ut leguleiis ſuccenſeat, partim, ut melioris notae doctores habeant, quod, ex diuitiis ſuis, apponant, ſi uel hinc inde, quod ad rem ipſam, otium forſan ipſis feciſſe autor, uel res id poſcere, uideatur. Mirifice porro placent eiuſdem definitiones, atque ſingulae rerum capitumque pertractationes. Siue enim exquiſitiorem earum rationem, ſiue perſpicuitatem, ſiue breuitatem, conſideres, praeſtantiſſima ſunt omnia, nihil tamen artificii nihilque operae

prae se ferunt. Trinis istis uirtutibus compendii cuiusdam constare bonitatem pariter, atque absolui, saepius audiui ex ore diui autoris, quem et ipsum his legibus suam, in concinnandis iurisprudentiae priuatae institutionibus, astrinxisse operam, res loquitur ipsa. Sed censuram reliquam, uel, si mauis, commendationem, Tibi, BENEVOLE LECTOR, merito relinquo, cum decenti tamen rogatione, ut Gribnerianis meritis ac manibus porro faueas, meumque institutum aequi bonique consulas, de cetero quoque nonnullos, qui humano more irrepserunt, typographicos errores, post indicem annotatos, * benigne corrigere haud graueris. Vale. Dabam Vitembergae, die III. ante Calend. Maii,

CIↃ IↃ CC XLVI.

* p. 230. §. VIII. lin. 5. legatur: *eademque non obsignata.*

CON-

CONSPECTVS OPERIS

PROLEGOMENA

de iure et iurisprudentia in genere, p. 3.

LIBER I

DE IVRE PERSONARVM

Tit. I. de statu hominum, in primis, de liberis et seruis, p. 13.
- *II. de iure ciuitatis, nec non de patria potestate, p. 19.*
- *III. de sponsalibus, p. 25.*
- *IV. de nuptiis, p. 30.*
- *V. de legitimationibus, p. 41.*
- *VI. de adoptionibus, p. 44.*
- *VII. de capitis deminutionibus et modis, quibus patria potestas soluitur, p. 48.*
- *VIII. de tutela et cura.*

Sect. 1. de tutela in genere et tutoribus testamentariis legitimis ac datiuis, p. 53.
- *2. qui dari possint tutores et de excusationibus tutorum, p. 59.*
- *3. de confirmatione et satisdatione tutorum, p. 62.*
- *4. de autoritate et administratione tutorum, p. 64.*
- *5. quibus modis tutela finiatur, p. 69.*

LIBER II

DE IVRE RERVM

Tit. I. de rerum diuisione, p. 72.
- *II. de iure rerum et diuisione iuris in re et ad rem, p. 78.*
- *III. de dominio et modis acquirendi rerum dominium, p. 80.*
- *IV. de usucapione, p. 99.*
- *V. de donationibus, p. 104.*
- *VI. de iure, quod domino in re sua, ui dominii competit, p. 114.*
- *VII. de possessione, p. 122.*
- *VIII. de hypotheca, p. 125.*
- *IX. de seruitute, p. 128.*
- *X. de iure hereditario, in primis de successione ex pacto, p. 143.*
- *XI. de testamentis in primis solennibus, p. 145.*
- *XII. de testamento minus solenni, p. 149.*

Tit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0013
DFG

Tit. XIII. de heredibus instituendis ac de heredum qualitate et differentia, p. 151.
- XIV. de substitutionibus, p. 156.
- XV. de exheredatione liberorum et de inofficioso testamento, p. 159.
- XVI. de testamento rupto, irrito et destituto, p. 167.
- XVII. de codicillis et clausula codicillari, p. 171.
- XVIII. de legatis et fideicommissis tam uniuersalibus, quam particularibus, p. 174.
- XIX. de successionibus ab intestato, p 186.
- XX. de acquisitione et omissione hereditatis, p. 202.

LIBER III
DE IVRE AD REM

Tit. I. de obligatione, p. 205.
- II. de pactis et contractibus, p. 209.
- III. de his, quae omnibus contract. sunt communia, p. 215.
- IV. de mutuo, SCto macedoniano et contractu chirographario, p. 222.
- V. de commodo, depositi et pignore, p. 228.
- VI. de fideiussione, p. 233.
- VII. de uerborum obligatione, p. 236.
- VIII. de emptione uenditione, p. 239.
- IX. de locatione conductione, p. 241.
- X. de emphyteusi, p. 244.
- XI. de societatibus, p. 246.
- XII. de mandato, p. 248.
- XIII. de obligationibus, quae quasi ex contractu oriuntur, p. 252.

LIBER IV
DE DELICTIS

Tit. I. de delictis in genere, p. 254.
- II. de furto, p. 256.
- III. de rapina, p. 259.
- IV. de lege Aquilia, p. 260.
- V. de iniuria, p. 262.
- VI. de quasi delictis, noxa et pauperie, p. 265.
- VII. de extraordinariis delictis, p. 267.
- VIII. de publicis delictis, p. 269.

PRIN-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0014
DFG

PRINCIPIORVM IVRISPRVDENTIAE PRIVATAE PROLEGOMENA DE IVRE ET IVRISPRVDENTIA IN GENERE.

§. I. *Ius in genere.*
§. II. *Quotuplex?*
§. III. *Diuinum quotuplex?*
§. IIII. *Vniuersale.*
§. V. *Naturae.*
§. VI. *Positiuum uniuersale.*
§. VII. *Particulare.*
§. VIII. *Vsus eius forensis et in iurisprudentia legislatoria.*
§. VIIII. *Ius humanum et gentium.*
§. X. *Humanum pro reipublicae statu diuersum.*
§. XI. *In antiquo Imperio Romano.*
§. XII. *Leges Germaniae.*
§. XIII. *Domesticae, uel exoticae.*
§. XIIII. *Domesticae quotuplices?*
§. XV. *Ius Saxonicum, cuius Interpres Dux Saxoniae.*
§. XVI. *LL. domesticae uniuersales, exoticae tantum priuatae.*
§. XVII. *Triplices.*
§. XVIII. *Ius Longobardicum, Canonicum, Iustinianeum.*
§. XVIIII. *Vnde iurisprudentia Romano-Germanica.*
§. XX. *Naeni iuris Iustinianei.*
§. XXI. *Dubii iuris causae.*
§. XXII. *De consuetudine.*
§. XXIII. *Quis iustus et iurisperitus.*
§. XXIIII. *Iustitia et iusta actio.*
§. XXV. *Iustitia quotuplex?*
§. XXVI. *Interpretatio.*
§. XXVII. *Eiusdem regulae.*
§. XXVIII. *Declaratoria.*
§. XXVIIII. *Authentica.*
§. XXX. *Vsualis.*
§. XXXI. *Cur methodus Iustinianea seruanda?*

§. I.

Ius est uoluntas superioris, inferiores, ex quo iis rite promulgata est, ad obsequium obligans.

§. II.

Omne Ius aut *diuinum* est, aut *humanum.*

§. III.

Diuinum est vel *uniuersale*, uel *particulare.*

§. IV.

Vniuersale est Dei uoluntas, omnibus hominibus declarata, omnesque ad obsequium obligans. Diuiditur in *Naturale* et *Positiuum.*

§. V.

Voluntas Dei, quae per rationem omnibus innotescit, *lex naturae* dicitur, quae, praeter *ius naturae*, stricte sic dictum, comprehendit *ius publicum uniuersale*, *ius gentium* et *ius priuatum*, seu *ciuile uniuersale.*

§. VI.

Per *ius diuinum positiuum* intelligo uoluntatem Dei, quae ex ratione cognosci nequit, sed, per reuellationem, omnibus tamen, promulgata est, omnesque aeque obligat, diuidi possunt, quae huc pertinent, leges, in *perpetuas* et *temporarias.*

§. VII.

Particulare diuinum omne positiuum est, omne etiam temporale et continet leges diui-

diuinas, populo Iudaico datas, quae uel *ecclesiasticae* sunt, uel *ciuiles*, illae partim in specie tales, partim typicae fuerunt, hae uel ad ius publicum, uel ad ius priuatum, pertinebant.

§. VIII.

Ex quo de usu earum constare potest, nimirum *typicae* ne seruari quidem amplius possunt, *publicae* et *ecclesiasticae* nostris rebus publicis et sacris non conueniunt, *priuatae*, quae sedulo a diuinis positiuis uniuersalibus distinguendae sunt, non obstringunt nos quidem, usum tamen praestant insignem, in iure priuato et in iurisprudentia, quam uocant, legislatoria. Sed unde cognoscimus, quaenam leges ex priuatis ciuilibus uniuersales sint? in dubio omnes particulares puto, nisi constet, Deum uoluisse, eas ad omnes pertinere. Cuius uoluntatis coniecturae uariae sunt, non aeque tamen omnes expeditae, de quibus plenius, in *principiis Iurisprudentiae uniuersalis positiui.*

§. VIIII.

Ius humanum cuiuscunque reipublicae legislator constituit. Idque *ciuile* alias dicitur, h. e. ius cuiuscunque ciuitatis.

Gentium ergo *ius*, quod omne diuinum est, minus recte ad humanum ius refertur.

§. X.

Caeterum ius hoc, pro diuersitate rerum publ. uarias recipit appellationes. In democratiis conduntur *plebiscita*, in aristocratiis *SCta*, *magistratuum edicta*, in monarchicis imperiis *constitutiones* principum, in mixtis rebus publicis, uariae legum occurrunt formae.

§. XI.

Hinc in Imperio Romano, cum urbem tenerent reges, leges latae sunt, quae *regiae* appellantur, intercedente tamen senatus auctoritate. His sublatis, cum, inter populare et optimatum imperium, res publica fluctuaret, leges mox et *SCta*, *edicta praetorum et aedilium et scita plebis*, tandem, ubi summa potestas ad unum transiit, is solus edixit, rescripsit, decreuit. Quamuis initio imperatores, cum nondum satis firmatum uideretur imperium, populo quoque aliquas et magis senatui, in iure sanciendo, partes reliquerint.

§. XII.

§. XII.

Germania noſtra rerum publicarum plurium ſyſtema conſtituit, inde leges, quibus utitur, aliae *uniuerſales* ſunt, quae, in uniuerſo ſyſtemate, inter Ordines, et in Imperii iudiciis, aliae *particulares*, quae in ſingulis rebus publicis, obtinent.

§. XIII.

Vtraeque uel *domeſtiae* ſunt, uel *exoticae*, quas receptas uocant. Hae enim quoque, in ſingulorum principum territoriis, iuris particularis rationem habent et, a quibuſcunque olim et quocunque modo conditae fuerint, tanquam *principum conſtitutiones*, ſeruantur.

§. XIV.

Domeſticae, eaedemque *particulares*, in ſingulis territoriis aliae habentur. Olim tamen, cum uniuerſa Germania in quatuor prouincias, ſeu ducatus, diuideretur, iure quoque quadruplici uſa eſt, *boïico* (baiuuariorum) *ſueuico* (alemannico) *francico* (ſalico) et *ſaxonico*.

§. XV.

Hoc et in terris Vandaliae et Venedorum auctoritatem obtinuit, quamuis negare

 nolim,

nolim, in illis quoque uiguisse ius *slauicum*. Interpres, iudex et legislator fuit dux Saxoniae, qui in pluribus palatiis ius reddidit. Reliquias illarum legum *speculum saxonicum*, *weichbildum* et *ius feudale saxonicum* exhibent.

§. XVI.

Vniuersales domesticae uel ad ius publicum regni, uel ad causas priuatas Ordinum, pertinent, sed *exoticae* omnes, quae quidem in uniuerso Imperio obtinent, non nisi priuati iuris rationem habent.

§. XVII.

Tria uero potissimum iura Germania usu recepit, *longobardicum*, *canonicum* et *iustinianeum*.

§. XVIII.

Longobardicum non nisi in causis feudalibus, *canonicum*, in causis ecclesiasticis et quibusdam aliis, *iustinianeum*, in honorem ac memoriam Imperii Romani, maxima ex parte, reluctantibus tamen olim Imperii Ordinibus, et usu magis initio, quam expressa confirmatione, ita, ut ne tempus quidem, quo primum inualuerit, satis certum expeditumque sit.

§. XVIIII.

§. XVIIII.

Ex his tam uariis, tamque diuerſis legum farraginibus oritur illa, quae uulgo *romano-germanica* dicitur *iuriſprudentia*, parum ſibi, ſi uerum fateri velimus, conſtans, et maximam partem dubia atque incerta, ut in primis, quoties ius patrium antiquum a romano, et canonicum ab utroque diſcrepat, utrum, prae altero, praeualere debeat, ex ſolo fere uſu, h. e. ab arbitrio ius dicentium, ſit repetendum.

§. XX.

Auget difficultatem inſignis legum obſcuritas, innumerae controuerſiae ac frequentes antinomiae, quae in iure iuſtinianeo in primis occurrunt, quod ſibi ipſi paſſim et contradicit, et derogat, ut pandectis inſtitutiones, utriſque codex, et huic etiam nouellae.

§. XXI.

Nec minus legum cultores diſtrahunt uaria *ſtatuta ciuitatum* tam meditarum, quam immediatarum, tum *conſuetudines*, quae uulgo ius non ſcriptum (rectius tacitum, non expreſſum) dicuntur. Quamuis, ſi ex principiis iuris uniuerſalis rem aeſtimes, non niſi in popularibus imperiis

consuetudo ius facere possit, et *obseruantiae* ac *praeiudicia* saepius huc referuntur, quae nullo modo uim iuris habere debebant.

§. XXII.

Iuxta doctrinam romanorum, *consuetudo* inducitur per actus frequentes, i. e. non duos, sed plures, et lapsum temporis, arbitrio iudicis definiendum. Prisci glossatores longum tempus, i. e. decem annos requirebant, qui error adhuc apud Saxones ius facit, ubi non nisi per 31. annos, 6. septem. et 3. dies consuetudo inualescit.

§. XXIII.

Qui leges sequitur, et obseruat, *iustus*, qui eas interpretatur, *iuris peritus*, audit.

§. XXIIII.

Iustitia enim obsequium legum est, et actio, legibus conueniens, *iusta* appellatur.

§. XXV.

Hinc alia iustitia *interna* est, alia *externa*, siue *ciuilis*, quae uero uulgo de iustitia *uniuersali* et *particulari*, *distributiua* et *commutatiua*, traduntur, nec usum habent, nec rigidiorem censuram sustinent.

§. XXVI.

§. XXVI.

Interpretatio sensum legum eruit, easque ad factum applicat. Requirit notitiam legum et iudicium. Regulae, quas uulgo afferunt, hermeneuticae, pleraeque officium suum perdunt, et inanes sunt.

§. XXVII.

Legem tamen aequam, et, quae ad ius diuinum proxime accedit, *extendere*, subtilem contra et quodam modo iniquam *restringere*, fas est. Quae, de *fauorabilibus* et *odiosis* causis, de legibus *correctoriis* et *poenalibus*, uulgo traduntur, aut dubia sunt, aut ex regulis fluunt.

§. XXVIII.

In primis uoluntas principis respicienda est, cuius enixa declaratio ampliorem interpretationem non postulat.

§. XXVIIII.

Authentica autem, quae ab ipso legislatore fit, ad nullas regulas adstricta est, imo noua lex potius, quam interpretatio legis, dici meretur, unde ad causas praeteritas non facile, et praecipue, si poenas capitales sanciat, uix unquam extendi potest.

§. XXX.

§. XXX.

Vsualis, quam uulgo addunt, interpretatio, nec authentica est, nec doctrinalis, sed errores pragmaticorum et obseruantiae hoc pallio teguntur. Itaque, eius nunquam rationem habendam, puto.

§. XXXI.

Ceterum iurisprudentia quaelibet uaria ratione quin tradi possit, ambigendum non est. Nos, dum *principia iuris privati* exponere animus est, sequemur potissimum methodum iustinianeam, non, quod optima ea quidem sit, sed, quod tritissima. Itaque agemus primum, *de iure personarum*, deinde *de iure rerum*, postea *de iure ad rem*, ac denique *de delictis*.

LIBER I
DE
IVRE PERSONARVM
TIT. I
DE
STATV HOMINVM
INPRIMIS
DE
LIBERIS ET SERVIS

§. I. *Status quid et quotuplex?*
§. II. *Naturalis.*
§. III. *Isque a sexu.*
§. IIII. *A natinitate.*
§. V. *Huius tempus legitimum.*
§. VI. *Ab aetate.*
§. VII. *Iure Romano triplex est.*
§. VIII. *Libertas.*
§. VIIII. *Ingennus.*
§. X. *Seruitus.*
§. XI. *Omnis ex pacto.*
§. XII. *De manumissione.*
§. XIII. *Ius manumissorum.*
§. XIIII. *Ius patronatus.*
§. XV. *Fauor libertatis.*
§. XVI. *Manumissio prohibita.*
§. XVII. *Hodie non dantur seruꝰ iuris Romani.*
§. XVIII. *A barbaris capti domꝰ manent ingenui.*
§. XIX. *De captis barbaris.*
§. XX. *De hominibus propriis.*
§. XXI. *Illorum dimissio.*
§. XXII. *Nostrates conductitiꝰ sunt ingenui.*

§. I.

Per *statum* intelligimus conditionem hominum. Duplex autem eorum status est, alius *naturalis*, alius *praeternaturalis*, seu *aduentitius.*

§. II.

Natura omnes aequales sunt. Nemo ergo natura aut seruus est, aut dominus, nemo imperans, nemo subditus, sed illae omnes

omnes conditiones praeternaturales sunt, et ex conuentione oriuntur.

§. III.

Non desunt tamen naturalia hominum discrimina. Nam, ratione *sexus*, homines uel *masculi* sunt, uel *foeminae*. His plura beneficia legislatores dederunt, ab officiis tamen publicis et dignitatibus eas excludentes. *Hermaphroditi* ad sexum, qui in ipsis praevalet, referuntur.

§. IIII.

Intuitu *natiuitatis*, alii *nati* sunt, alii *nascituri*. Nascituri iure nostro pro iam natis habentur, quando id ipsis utile est. Patri itaque, qui a tutela se excusare cupit, non prosunt.

§. V.

Natiuitatis tempus legitimum est initium septimi mensis usque ad initium undecimi mensis. Qui ante septimum mensem nascuntur, eos pater pro suis agnoscere non tenetur, nisi anticipauerit concubitum, quo casu liberi legitimi quidem habentur, sed parentes carcere coercentur. Post initium mensis undecimi nati illegitimi habentur.

§. VI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0026
DFG

§. VI.

Intuitu *aetatis*, jure noſtro, alii *infantes* ſunt, alii *infantiae proximi*, alii *proximi pubertati*, alii *puberes*, iique uel plene, uel minus plene tales, utrique minores dicuntur, donec legitimam aetatem conſequantur.

§. VII.

Romani ICti triplicem ſtatum conſtituunt, *libertatis*, *ciuitatis* et *familiae*. Inde triplex caput et tres capitis deminutiones, inde ſeruus caput non habere dicitur, cum nec libertatis, nec ciuitatis, nec familiae iure fruatur.

§. VIII.

Libertas eſt ſtatus naturalis, ui cuius quis ſui iuris et nullius domino ſubiectus eſt. Aliter TRIBONIANVS, in §. *1. I. de iur. perſ.*

§. VIIII.

Qui a parentibus naſcitur liberis, nec ſeruitutem unquam ſubiit, *ingenuus* dicitur, qualis etiam cenſetur, qui ex matre libera uel ſuſceptus, uel geſtatus, uel editus eſt.

§. X.

§. X.

Seruitus est status praeternaturalis, seu aduentitius, ui cuius quis alterius dominio subiicitur.

§. XI.

Ergo omnis seruitus ex pacto est, eoque uel tacito, uel expresso. Expressum intercedit, si quis se uendat in seruitutem, quod olim XX. annis maioribus licebat. Tacitum in captiuis et ex ancilla natis, quamuis hoc gentium iuri non conueniat, sed tantum legibus romanis, aliorumque populorum, sit inductum.

§. XII.

Per manumissionem seruitus dissoluitur, libertas redditur. Variis ea modis apud romanos fiebat, solennioribus aliis, aliis minus solennibus. Vulgo, alios gentium iuris, alios ciuilis esse, sed minus accurate, docent.

§. XIII.

Manumissi, iure nouellarum, ius ciuitatis romanae omnes consequebantur, ingenuis aequales, excepto iure patronatus.

§. XIIII.

§. XIIII.

Hoc manumittenti competebat, cui reuerentiam et operas libertus praestabat, huic ius tutelae et successionis etiam competebat. Ingratum libertum in seruitutem etiam reuocare fas erat.

§. XV.

Tantus uero libertatis fauor erat, ut et ubicunque et quandocunque manumissio fieri posset, et ex falsa causa manumissus libertatem retineret, et, quot quis ex seruis uellet, et inter uiuos, et ultima uoluntate, dimittere ualeret.

§. XVI.

In fraudem creditorum tamen manumittere non licebat, nec inter uiuos regulariter ei, qui decimum octauum annum nondum attigerat.

§. XVII.

Haec ita apud Quirites obtinebant. *Hodie* nec pacto quis in seruitutem se alteri tradere potest, nec, inter christianos, captiuitate, aut natiuitate, seruitus constituitur.

§. XVIII.

Ipsi christiani, etiam a barbaris capti, licet in seruili conditione sint, a christianis

tamen pro liberis habentur, et iuribus ingenuorum absentes quoque fruuntur.

§. XVIIII.

Quos a barbaris bello capimus, seruorum numero, retorsionis iure, habemus, qui, licet ad nostra sacra accedant, inuitis tamen dominis libertatem non consequuntur.

§. XX.

Multum a seruis romanis *homines proprii* differunt, qui, licet, in quibusdam iuris articulis, pro seruis habeantur, in plerisque tamen liberorum hominum beneficiis gaudent.

§. XXI.

Dimitti ab omnibus queunt, quibus alienandi ius competit, nec, quae in manumissionibus adhibebantur, ut intercedant solennitates, necesse est.

§. XXII.

Illis autem, quorum operas mercede conducimus, omni modo libertas competit, ut non minus ingenui sint, quam domini, quibus eas locarunt.

TITVLVS II
DE
IVRE CIVITATIS ET FAMILIAE
NEC NON
DE
PATRIA POTESTATE

§. I. *Ius ciuitatis Romanae.*
§. II. *Ius ciuitatis Germanicae, ciues Imperii quotuplices?*
§. III. *Quis peregrinus?*
§. IIII. *De iure albinagii.*
§. V. *De bannitis.*
§. VI. *De statu familiae.*
§. VII. *Patria potestas.*
§. VIII. *An romana hodie sublata?*
§. VIIII. *Patria potestas hodierna.*
§. X. *De filiisfamilias.*
§. XI. *De familia, agnatis et cognatis.*
§. XII. *Triplici modo acquiritur potestas patria.*

§. I.

Insigne apud Romanos fuit ius ciuium, quod Antoninus omnibus subditis Imperii commune esse uoluit. Hoc enim carebant peregrini, qui nec iustas nuptias contrahebant, nec potestatem patriam, quoad effectus ciuiles, consequebantur, neque testamenti factionem habebant, aliis quoque commodis ciuium romanorum destituti.

§. II.

In imperio nostro duplex ius ciuitatis occurrit, *uniuersale* et *particulare*. Vi illius, quis in Imperio, ui huius, in prouincia, pro ciue habetur. *Imperii ciues* alii *immediati* sunt, alii *mediati*. Prouinciarum ciues iure ciuitatis in uniuerso Imperio, tan-

quam mediati ciues, gaudent, in suis terris aliquando, prae extraneis, commodis gaudent. Ab utroque iure ius ciuitatis, quo quis inter municipes urbis recipitur, multum distat.

§. III.

Qui utroque iure destituitur, *peregrinus* est, et subditus quidem, non tamen ciuis est. Quamuis hodie peregrini plerisque iuribus, quae Romani iis negabant, aeque gaudeant.

§. IIII.

Quibusdam in regnis *albinagii* ius receptum est, quod aduersus illorum subditos retorquemus, ui huius iuris, peregrini neque succedere cuiquam, neque testari, sed nec immobilia possunt acquirere, neque ad honores aspirare, nisi indigenatus ius obtinuerint, quod *naturalisationem* uocant.

§. V.

Qui uero in bannum, aut Imperii, aut prouinciae, declarati sunt, deteriori longe, quam peregrini, conditione censentur, relegatorum aliam esse rationem, infra obseruabimus.

§. VI.

Nunc ad statum *familiae* pergimus. Familiam

miliam constituunt uir et uxor, parentes et liberi, dominus et serui. De his *tit. praec.* dictum est. Coniugii in *tit. de nupt.* rationem habebimus. Hoc loco parentum et liberorum iura trademus.

§. VII.

Patria potestas alia *naturalis* est, alia *ciuilis*. Naturalis utrique parentum communis est, iisque dat ius, actiones liberorum, ad utilitatem ipsorum et societatis humanae, dirigendi, prò diuersa aetatis ratione, diuersos gradus suscipit, usum fructum in bonis liberorum et ceteros effectus iuris romani non complectitur. De hac in iurisprudentia uniuersali agitur. Hoc loco id tantum admonendum est, potestatem, quae principibus etiam nostri Imperii, in liberos, competit, iuris illius limitibus circumscriptum uideri.

§. VIII.

Potestas *ciuilis* romana hodie non sublata est, immutata tamen non parum, post collisas cum illo iure leges germanorum. Ita patri ad huc usus fructus competit, in bonis filii aduentitiis, (extra Saxoniam tamen Electoralem passim etiam matri, post patris mortem, uindicant, a. Land-R.

L. I. a. 11. conf. HARPR. *de usufructu statutario materno*, et FVCHS. *in diss. de iure matrum, diuerso a iure patrum,*) et potestas ei, usque ad annos pubertatis substituendi, ita nec hodie filiifam. ius suitatis negandum uidetur, nec beneficium SCti Maced. sed nec testamenti factionem eis germanorum mores indulgent.

§. VIIII.

Contra potestas patria hodie non obstat, quominus parentes cum liberis ualide contrahant. Tutorem dandi ius matri cum patre commune est, cuius consensus etiam in nuptiis non minus requiritur, nec ius aut castigandi, aut uindicandi liberos, ad potestatem patriam pertinet, cum utrumque matri etiam competat, quamuis cum iis, qui, quoad uindicationem liberorum, partes patris potiores esse, censent, contendere nolim. Multo minus huc referri debent iura, quae etiam apud Romanos patri et matri fuerunt communia, ut ius heredem liberis et liberorum nomine, per quasi pupillarem, quam uocant, substitutionem, scribendi.

§. X.

Liberi, qui in potestate sunt, *filiifamil.* uel filiaefamil. dicuntur, quae appellatio etiam

etiam nepotes comprehendit, qui et ipsi apud Romanos non raro in aui potestate nascebantur, quod apud nos rarius contingit. Nimirum, si filii, qui nuptias contrahunt, minores sint, aut oeconomiam non instituant, nec a patre fuerint emancipati. Ceteri liberi, qui potestati non subsunt, filii uel filiae dicuntur, ut liberi emancipati, et, in relatione ad matrem, omnes. Hi etiam patresfamil. dicuntur, cum omnes, qui filiifamil. non sunt, pro patribusfamil. habeantur.

§. XI.

Latius uero *familiae* uox patet, quoties omnes, qui ex eodem patrefamil. descendunt, complectitur, licet in suas iterum familias discesserint. Hi uel *cognati* sunt, uel *agnati*, agnati in primis ad eandem familiam pertinere censentur. Sunt uero agnati, qui ab eodem patre per filios, eorumque descendentes masculos, nati sunt, unde idem nomen, eademque insignia retinent. *Cognati* aut a matre nobis iuncti sunt, aut a patre quidem, sed intercedente persona feminini sexus, non per masculos solos, nisi ex his aliquis ius agnationis perdiderit.

§. XII.

Haec de iure ciuitatis et familiae dixisse sufficiant, nisi quod hoc addendum uideatur, patriam potestatem constitui per generationem, ex iustis nuptiis, quae sola est naturalis potestatis huius causa. Sed leges fictioni hic locum reliquerunt, et modo, nuptias interceſſiſſe, modo, iustas eas fuisse, fingunt. Inde triplex modus acquirendi patriam potestatem, per nuptias, legitimationem et adoptionem. Itaque de nuptiis nobis primo loco agendum est, sed, quia nuptias praecedunt sponsalia, nos quoque haec praemittemus.

TITVLVS III
DE
SPONSALIBVS

§. I. *Sponsalia.*
§. II. *An testes necessarii?*
§. III. *Parentum consensu opus est.*
§. IIII. *De clandestinis.*
§. V. *Qui sponsalia contrahunt, uel non.*
§. VI. *Distinctio sponsaliorum de praesenti et futuro, inutilis est.*
§. VII. *An possint iniri sub conditione?*
§. VIII. *An praeferuntur puris posterioribus?*
§. VIIII. *De conditionis renuntiatione.*
§. X. *De binis sponsaliis.*
§. XI. *Qualis actio ex sponsalibus?*
§. XII. *Mutua uoluntate sponsalia tolli non possunt.*
§. XIII. *Exceptiones contra sponsalia.*

§. I.

Per *sponsalia* intelligimus pactum, seu conuentionem, qua masculus cum femina, in matrimonium ineundum, consentiunt.

§. II.

Dixi pactum, ergo solo consensu constituuntur sponsalia, sed ius canonicum, ut testium solennitas huic conuentioni accedat, requirit, quod sequitur ius Saxon. quoties paciscentium parentes uel deficiunt, uel non sunt praesentes.

§. III.

Sed nec pactum hoc ualet, nisi parentum consensus accedat, patris et matris, et huius non modo, si pater deficiat, sed et, illo superstite, (ulteriorum ascendentium

non, nisi pater et mater deficiant) ita, ut ista, si, consentiente licet patre, ex iusta causa, dissentiat, matrimonium quidem non ubique impedire possit, ius tamen habeat, liberos ab hereditate sua excludendi. Contra, si iusta causa dissensus deficiat, patris non minus, quam matris consensum supplet iudex ecclesiasticus, quo ipso exheredandi ius parentibus ademtum censetur.

§. IIII.

Illa ergo sponsalia, quae sine parentum consensu, aut, si illi deficiant, sine testibus, contracta sunt, *clandestina* dicuntur. Super his ergo iuramentum deferri non potest, ne quidem, si concubitu sint confirmata, super publicis autem potest, quod iure Sax. El. immutatum esse non uidetur.

§. V.

Qui pacisci possunt, illi etiam recte sponsalia contrahunt. Excipiuntur tamen ii, qui matrimonium inire prohibentur, unde et impuberum sponsalia inualida sunt, nisi, puberes facti, in eadem uoluntate persistant.

§. VI.

§. VI.

Vulgo sponsalia haec ad ea, quae de futuro sunt, referunt, sed uerius est, per sponsalia *de praesenti*, iure Can. consensum matrimonialem intelligi, adeoque distinctionem in sponsalia, *de praesenti* et *futuro*, nullius esse usus.

§. VII.

Vti aliis conuentionibus, ita etiam huic conditio accedere potest, quae si *impossibilis* sit, sponsalia sunt nullius momenti, cum seria uoluntas contrahentium deficiat, quicquid in contrarium nitatur pontifex, in *c. f. X. de condit. appost. Possibilis* conditio obligationem suspendit, quae, ea deficiente, exspirat, existente autem, plenissimum robur acquirit.

§. VIII.

Hinc conditionata sponsalia priora praeferuntur puris posterioribus. Vulgo contra sentiunt, et sponsalia impuberum ac tractatus sponsalitios cum sponsalibus, sub conditione initis, confundunt.

§. VIIII.

Si sponsalia ab una parte simpliciter, ab altera sub conditione, contracta sunt, pars, cuius fauorem respicit, ei renunciare potest.

teſt. Immo tacite remiſſa cenſetur conditio per copulam ſiue ſacerdotalem, ſiue carnalem.

§. X.

In hoc quoque naturam aliorum contractuum ſponſalia ſequuntur, quod prior ſponſus poſteriori praeferatur, et bina ſponſalia, ſub poena infamiae, contrahere prohibitum ſit. Si tamen ad poſteriora hierologia eccleſiaſtica, aut concubitus, acceſſerit, uſu plerorumque locorum, poſteriora, in primis, ſi poſterior ſponſus doli particeps non fuerit, praeferuntur.

§. XI.

Ex hoc pacto non minus, quam ex aliis, actio oritur, quae coram iudice eccleſiaſtico inſtituenda eſt, cum huic cauſarum illarum cognitionem principes etiam proteſtantes ſponte reliquerint. Poſſuntque perſonae, quae, ſine iuſta cauſa, matrimonium conſummare detrectant, ad copulam ſacerdotalem compelli, in primis, ſi concubitus acceſſerit, ad publica ſponſalia. Quamuis diſſuadere ſoleant matrimonium, quod uel una pars omni modo auerſatur, quam aliis poenis ſatius eſt, ob uiolatum pactum, coërceri.

§. XII.

§. XII.

Id singulare est, quod mutua uoluntate tolli haec obligatio nequeat, nisi ecclesiastici iudicis auctoritas accedat, quam tamen interponere non dubitabit, si utraque pars eam expetat, uel matrimonii conditionem recuset. Arrham hoc casu perdunt, et carcere, aut mulcta, coërcentur, qui temere a sponsalibus, publice contractis, recedunt.

§. XIII.

De cetero, sicuti aduersus alias conuentiones, ita etiam contra sponsalia, datur exceptio *metus*, *doli* et *iusti erroris*. Quibus exceptionibus renunciare censetur, qui sponte matrimonium consummat, ut ne de errore quidem amplius excipere queat, nisi aut de eo constare ipsi non potuerit, aut dolo ad consummationem matrimonii sit inductus. Porro, ex quibus causis diuortio, ex iis etiam repudio, locus est. Sunt et aliae iustae causae, ob quas recedendi facultas desponsatis datur, iudicis arbitrio definiendae.

TITVLVS IIII
DE
NVPTIIS

§. I. *De contrahendis nuptiis et concubitu anticipato.*
§. II. *Praecedit proclamatio.*
§. III. *Nuptiae quid?*
§. IIII. *An societas?*
§. V. *Eodem tempore uni cum pluribus illicita.*
§. VI. *Licita uero post dissolutam primam.*
§. VII. *An serui et peregrini nupt. contrahere possint?*
§. VIII. *An personae diuersae religionis?*
§. VIIII. *Facto aut natura inhabiles.*
§. X. *De prohibitione ciuili.*
§. XI. *De cognatione.*
§. XII. *Cognatio Iur. Can.*
§. XIII. *Cognatio ciuilis.*
§. XIIII. *De incestu iur. nat. et positiui.*
§. XV. *De prohibitione Leu. 18.*
§. XVI. *Non obtinet dispensatio.*
§. XVII. *Ius Rom. quatenus cum diuino conueniat.*
§. XVIII. *De iure canonico.*
§. XVIIII. *De iure Saxonico.*
§. XX. *De Marchico.*
§. XXI. *De affinitatis impedimento.*
§. XXII. *Sponsalia non obstant, iuramento tamen opus est.*
§. XXIII. *Affinitatis genera.*
§. XXIIII. *Poena incestus.*
§. XXV. et XXVI. *Iura coniugum, sigillatim mariti.*
§. XXVII. *Vxoris.*
§. XXVIII. *Matrimonium soluitur per adulterium.*
§. XXVIIII. *Et malitiosam desertionem.*
§. XXX. *An ob insidias uitae?*
§. XXXI. *Si ab initio nullum.*

§. I.

Si pacto satis facere cupiant sponsus sponsaque, nuptias contrahunt, quod ipsis tamen non permittitur ante, quam copula sacerdotali coniuncti fuerint, quae iuris diuini quidem non est, boni ordinis tamen causa, per leges ecclesiasticas, approbata. Ante eam ergo qui coëunt, anticipati concubitus poenam incurrunt, liberi tamen, qui inde, post publica sponsalia, nascuntur, legitimi censentur.

§. II.

§. II.

Copulam ſacerdotalem praecedit regulariter *proclamatio*, quae tribus diebus dominicis continuis fieri debet, niſi diſpenſatio fuerit impetrata. Rationem citationis habet, unde, qui impedire nuptias cupit, intra illud tempus ius ſuum allegare tenetur, ita tamen, ut, ſi impedimentum iuris diuini coniunctioni obſtet, etiam, conſummato matrimonio, id urgeri poſſit ac debeat.

§. III.

Nuptiae ſunt ſocietas maris et feminae, ad dies uitae, ſobolis in primis procreandae cauſa, inita.

§. IIII.

Dixi *ſocietatem*, coniunctionem uulgo uocant, termino etiam magis obſcuro, quamuis ſocietatis uox quoque ſtatum coniugum uix ſatis exprimat. Additi: maris et feminae; quia enim, ſobolis procreandae cauſa, potiſſimum contrahitur, ſocietas haec diuerſi ſexus perſonas requirit.

§. V.

Neque eodem tempore uni, cum pluribus, in hac indiuidua ſocietate eſſe, licet, quod non naturales quidem, poſitiuae

uae tamen uniuerſales Dei leges prohibent, et ciuiles, gladii etiam poena, in uiolatores conſtituta, interdicunt.

§. VI.

Sed, diſſoluta morte, uel iuſtis ex cauſis, priori ſocietate, nouam inire, cuiuis integrum eſt, modo uidua, poſt annum, uiduus, iure Sax. poſt annum dimidium, demum matrimonium conſummet. Orientis eccleſia ulteriores nuptias tamen ad modum auerſata eſt, uariiſque poenis ſecundum nubentes coërcuit. Sed hae, in Saxonia aliiſque Germaniae locis, omnes ceſſant.

§. VII.

Iure romano nuptias non cenſentur contrahere *ſerui* et *peregrini*, quod de effectibus matrimonii ciuilibus, de dote, poteſtate patria, aliiſque coniugum iuribus, intelligendum eſt, quos ne hodie quidem omnes conſequuntur, qui in ſeruitute ſunt, aut ciuitatis iure deſtituuntur, quamuis, in peregrinis, pleriſque in locis aliud obtineat.

§. VIII.

Inter perſonas quoque, diuerſis ſacris addictas, nuptiae non permittuntur, ut chri-

christianum inter et iudaeam, orthodoxum et haereticam, nisi, quoad effectus iuridicos, religio, quam profitentur, pro orthodoxa habeatur, ut tres, quae in Imperio nostro uigent. Quamuis huius modi quoque coniunctiones non immerito dissuadere soleant.

§. VIIII.

Qui generandi facultate destituuntur, castrati, impotentes, societatem hanc inire nequeunt, unde cum iis matrimonium non est, licet copula sacerdotalis interuenerit, impuberes quoque a nuptiis arcentur, foeminae ante XII. annum, masculi ante XIIII. nisi facultas generandi citius se exserat, et Principis dispensatio impetretur. Senum et uetularum etiam matrimonia tolerantur.

§. X.

Illae prohibitiones, quae ad tutorem eiusque filium, raptorem, adulterum, praesidem prouinciae et senatores, pertinebant, hodie, plerisque in locis, apud nos certe, cessant.

§. XI.

Videamus nunc de iis, quos cognatio, aut affinitas, a nuptiis arcet. *Cognati* h. l.

dicuntur omnes, qui ab eodem stipite descendunt, h. e. qui eundem habent parentem. Cognatio haec est uel *naturalis*, uel *ciuilis*. Ciuilis uel ex iure romano, uel ex iure pontificio.

§. XII.

Cognatio Iuris canonici [a] hodie nuptiis amplius non obstat, ut, siue paternitas, siue compaternitas, siue confraternitas, intercedat, ne dispensatione quidem sit opus.

a) Dicitur alias spiritualis cognatio, etiam iure ciu. quod ad paternitatem attinet, nuptiis impedimento fuit. *l. 26. C. de nupt.*

§. XIII.

Ob ciuilem cognationem, quae ex adoptione oritur, perinde nuptiae non prohibitae amplius censentur. Quamuis aliqui, si adoptans adoptatam ducere uelit, dispensationem requirant.

§. XIIII.

Vtrum iure nat. incestae dentur nuptiae, alibi dispiciemus. Lege Dei positiua uniuersali prohibita sunt matrimonia 1) inter ascendentes et descendentes, 2) inter fratres et sorores, 3) inter personas, quae parentum et liberorum loco sunt. Quae prohibitiones etiam in affinitate obtinent, si primi

si primi generis, nam reliqua non sunt iuris diuini, 4) inter compriuignos, zusammen gebrachte Kinder, et 5) ex eadem ratione etiam cum nouercae matre, quam coniunctionem ius Saxonicum quoque damnat.

§. XV.

Non uero personae tantum, quae *Leu. XVIII.* nominatim commemorantur, iure diuino positiuo uniuersali prohibitae censeri debent, sed et, 1) qui in eodem gradu constituti sunt, 2) etiam, qui in alio gradu positi sunt, quoties eadem omnino ratio subest.

§. XVI.

Contra hanc legem dispensatio nulla obtineri potest, imo et contracta matrimonia sine discrimine dissoluenda sunt, quicquid CARPZOVIVS, aliique contradicant.

§. XVII.

Leges romanae easdem nuptias prohibent, quae iure diuino illicitae censentur, nisi, quod, inter compriuignos et cum nouercae matre contrahi posse matrimonium, frustra contendant. Consobrinorum nuptiae nec diuino, nec illo iure, improbantur.

§. XVIII.

Pontifices prohibitiones nuptiarum cumularunt, ut dispensationibus locum facerent. Nam, quae afferuntur, rationes, inanes omnino sunt, et colorem tantum praestant, itaque etiam in gradu quarto utrinque constituti, matrimonium inire nequeunt, nisi impedimentum sit sublatum. Nimirum prohibentur IIII. et 4. non II. et 5. nec III. et 5. I. et 5. tamen ob concurrentem parentalem respectum.



§. XVIIII.

Ius Saxonicum Elect. a rigore iuris canonici nonnihil remisit. Illicitae tamen sunt nuptiae inter II. et 2. nec non inter II. et 3. non aeque inter III. et 3. et ulteriores, *iure marchico* uero illae quoque prohibitis accensentur.

§. XX

§. XX.

Quamuis uero alias unilaterales iure Saxon. uno gradu remotiores esse censeantur, quam bilaterales, et ex iis nati, quoad incestas tamen nuptias, hoc discrimen non attenditur, nec adeo gradus tertius inaequalis, si unilaterales in eo constituti sint, pro tertio aequali habetur.

§. XXI.

Quas personas, ob cognationem, matrimonium contrahere non posse, diximus, illarum coniuges etiam ducere prohibemur, imo omnes, cum quibus illae concubuerunt. Per concubitum enim constituuntur in primo affinitatis genere, quod in iisdem gradibus omni iure nuptiis obstat, quibus consanguinei ab iis arcentur.

§. XXII.

Contra sponsalia sola non obstant, unde fratris etiam sponsam ducere licet, praestito tamen iuramento purgatorio, quod ab omni sponso uel sponsa exigendum uidetur, si matrimonium inire uelint, cum persona, quam, si concubitus accesserit, iure diuino ducere prohiberentur. Siue sponsalia fuerint publica, siue clandestina.

§. XXIII.

Per concubitum, cum affine primi generis, affinitas secundi generis, et per nuptias cum affine, in secundo genere constituto, tertii generis affinitas contrahitur, sine gradus discrimine, tot enim genera ius canonicum constituit, sed tertium genus nuptias apud nos non impedit, secundum tamen, etiam si parentalis respectus non intercedat, (iure Sax.) quamuis dispensationi locus relinquatur.

§. XXIIII.

Poena incestus iure nostro est gladius, quoties inter ascendentes et descendentes ille committitur, fustigatio inter affines primi generis in linea recta, et inter ceteras, quas lex Dei, *Leu. XVIII.* nominatim exprimit, personas, alias relegatione perpetua, uel temporali.

§. XXV.

Superest, ut *iura coniugum* et modos, quibus haec societas finitur, expendamus. Marito imperium aliquod in uxorem competit, quod non naturalis quidem, sed diuinae tamen leges iubent, et iura quaecunque ciuilia sanciunt, sed limites potestatis huius, quae in iure dirigendi res domesti-

mesticas consistit, nimium extendunt, qui puniendi et uerberandi arbitrium liberius, quam *Nou.* 117. permittit, maritis concedunt.

§. XXVI.

De *dotis* dominio, quod marito competit, alio loco agemus. *Saxones* marito administrationem et usum fructum tribuunt omnium bonorum uxoris, quae nominatim non excepta sunt. Contra maritus alere uxorem et tueri tenetur.

§. XXVII.

Vxor marito praestat operas, etiam artificiales, ex quibus quicquid acquirit, marito cedit, nomen, dignitatem, forum et domicilium sequitur, quod, inuita uxore, mutare maritus potest, etiamsi promiserit, se non mutaturum.

§. XXVIII.

Soluitur societas coniugum morte et per adulterium, licet non consummatum, siue a marito, siue ab uxore, commissum, nisi remissio aut expressa, aut tacita, coniugis intercedat.

§. XXVIIII.

Haec sola causa iure diuino expressa est, sed tamen et ob malitiosam desertionem

diuortia permittuntur, quo et denegatio amoris coniugalis refertur. Verum, hanc ob causam facto licet diuortio, desertor tamen in thorum recipiendus est, qui, re integra, animum mutat et ad coniugem reuertitur. Ast, si innocens iam aliud matrimonium contraxerit, desertor, de dolo conuictus, fustigatione coërcetur, ad ulteriores tamen nuptias omnino admittitur, cum nemo inuitus in coelibatu uiuere cogatur.

§. XXX.

Sunt, qui etiam, ob insidias uitae structas, ob inimicitiam irreconciliabilem, ob intolerabiles mores, diuortio locum faciunt, sed plerique, has causas tantum ad separationem a mensa et thoro, non ad diuortium aeque sufficere, censent. Quamuis causa prima ad desertionem referri posse uideatur.

§. XXXI.

Si ab initio nullum sit matrimonium, ueluti ob dolum, metum, *impotentiam*, ob stuprum, ab uxore, ante matrimonium, contractum, non tam dissoluitur, quam nullum declaratur coniugium. Sed et, si copula carnali nondum consummatum sit, facilius rescinditur, quam si ea accesserit benedictioni sacerdotali.

TITV-

TITVLVS V

DE

LEGITIMATIONIBVS

§. I. *Illegitimi restituuntur a principe.*
§. II. *A quo omnia pendent.*
§. III. *Principes olim aliter crediderunt.*
§. IIII. *Censura vulgaris sententiae.*
§. V. *Effectus legitimationis.*

§. I.

Qui extra iustum matrimonium nascuntur, liberi *illegitimi* dicuntur. His nulla naturalis macula inhaeret. Moribus tamen gentium et iure ciuili ea laborare creduntur, nisi beneficio Principis fuerint restituti, qui legitime natis plenissime ualet eos exaequare.

§. II.

Hoc beneficium Princeps solus praestat, qui id uel singulis rescripto indulget, uel uniuersis, lege lata, concedit. Neque enim *oblatio curiae*, aut subsequens matrimonium, legitimationi sufficeret, nisi Principibus ita placuisset. Itaque et nouos illi legitimandi modos praescribere, et ueteres tollere, et effectus cuiuscunque legitimationis, pro arbitrio, determinare possunt.

§. III.

Ergo ius legitimandi ad legislatorem pertinet, qui edicit, rescribit, ex quo consequitur, solos Principes, in terris suis, legitimandi potestatem habere. Olim aliter persuasi fuerunt ipsi Principes, qui iuris ciuilis doctoribus crediderunt, legitimationem esse reseruatum Imperatoris, unde potestatem hanc, eamque saepius limitatam, aut palatini etiam comitis dignitatem, sibi exorare non dubitarunt.

§. IIII.

Imo hodie quoque haud pauci legitimandi ius Principibus denegant, alii effectum eius ad territoria restringunt, plerique Imperatorem et eius comites palatinos, cum Principibus, in exercitio huius potestatis, concurrere, et illos etiam plenius beneficium praestare, sibi persuadent. Sed hos errores duabus dissertationibus confutauimus, et liquido euicimus, legitimationem Principum extra territorium etiam esse efficacem, et nec Imperatorem nec comites palatinos partes has legislatoriae potestatis in terris Principum sibi arrogare, aut cum illis in iuris huius exercitio concurrere posse.

§. V.

§. V.

Effectus quoque legitimationis ab arbitrio Principis pendet. Iure, quo utimur, legitimati siue per subsequens matrimonium, siue per rescriptum, in feudis regulariter non succedunt, in allodio tamen, modo in legitimatis per rescriptum, de Principis uoluntate, constet, quae praesumitur, si alii liberi non extent, et pater legitimationem impetrauerit. Ius primogenitурae autem ne legitimatio quidem per subsequentes nuptias praestat, si interim ex alio matrimonio liberi legitime nati sint. Quamuis alias legitimationis effectus ad tempus natiuitatis retrotrahantur.

TITVLVS VI

DE

ADOPTIONIBVS

§. I. *Adoptio tribuit P. P.*
§. II. *Arrogatio requirit rescriptum Principis.*
§. III. *Adoptio tantum autoritatem magistratus.*
§. IIII. *Adoptio plena.*
§. V. *Minus plena.*
§. VI. *Adoptanti succedit adoptatus.*
§. VII. *In plena et arrogatione successio obtinet mutua.*
§. VIII. *De arrogati emancipatione uel exheredatione.*
§. VIIII. *De aetate adoptantis.*
§. X. *An nobilitas transferatur per adoptionem?*
§. XI. *Vnio prolium.*

§. I.

Non tantum per nuptias et legitimationem patria potestas acquiritur, sed et per adoptionem, qua, qui liberi non sunt, tanquam liberi, in familiam asciscuntur.

§. II.

Tribuit autem patriam potestatem *arrogatio* et plena adoptio. Arrogatio, quae a solenni ueterum rogandi more nomen accepit, rescriptum principis requirit, ut ne apud Saxones quidem magistratus auctoritas sufficiat. Hoc opus est, si sui iuris sit, quem quis sibi filium adoptare cupit.

§. III.

Contra, si adoptandus in patria potestate constitutus sit, rescripto non est opus,

opus, sed magistratus sufficit autoritas. Vbi apud Saxones satius est, iudicem adire competentem. Comites palatini neque arrogationibus auctoritatem praestare possunt, licet comitiua eam potestatem nominatim comprehendat.

§. IIII.

Dixi, non omnem adoptionem, sed plenam tantum, patriam potestatem adoptanti dare. *Plena* autem dicitur, quae fit ab aliquo ascendentium, siue paternae, siue maternae lineae, sexus tamen masculini.

§. V.

Extraneorum adoptio *minus plena* dicitur, quae uox hoc loco omnes comprehendit, qui ascendentes non sunt, fratres etiam consanguineos quoscunque, imo foeminas quoque, in ascendentium ordine constitutas.

§. VI.

Haec adoptatio ius ab intestato succedendi tantum tribuit, adoptanti non aeque, adoptati quoque ius adeo infirmum est, ut, testamento condito, absque causa praeteriri possit.

§. VII.

§. VII.

Contra, in arrogatione et adoptione plena, succeſſio mutua obtinet, niſi impubes arrogetur. Ei enim, intra annos pubertatis, decedenti, non ſuccedit arrogator, ſed, ui praeſtitae cautionis, omnia bona legitimis ſucceſſoribus reſtituit.

§. VIII.

Arrogatus, abſque iuſta cauſa, emancipari, uel exheredari, nequit, alias enim arrogator ei *quartam* partem omnium bonorum, quae *diui Pii* dicitur, relinquere cogitur, licet ipſe plures habeat liberos, pluribus tamen arrogatis, non niſi una quarta debetur, neque hodie, uti legitimae, ita et huius quartae quantitatem auctam eſſe, puto.

§. VIIII.

Qui adoptat, ſiue filium, ſiue filiam, 18. annis eum praecedat, neceſſe eſt, ſi nepotem, annis 36. quamuis, ſi ueluti ex filia nepotem aſſumat, 32. anni ſufficere poſſint. Caſtratis Leo Imperator adoptandi facultatem reſtituit, *Nouella 26.* quam ſpadones etiam iure iuſtinianeo habebant.

§. X.

§. X.

Iura nobilitatis etiam olim per adoptionem transferebantur, sed hodie aliter obtinet. Nec inter Principes adoptio successionem tribuit, nisi adoptanti plenissimum de territorio disponendi arbitrium competat, aut agnati, ordines, et reliqui, quorum interest, consentiant.

§. XI.

Non desunt hodie adoptionis exempla, neque in eius locum successit *unio prolium*, quae liberos diuersi matrimonii, quoad ius succedendi, exaequat. Haec ab illa plurimum differt, patriam potestatem non tribuit, uel bilateralis est, uel unilateralis, ualet etiam absque decreto, quatenus liberis est utilis, nec liberorum consensu opus est, quoties non agitur de praemortuorum parentum hereditate, nec liberi in legitima laeduntur.

TITVLVS VII

DE CAPITIS DEMINVTIONIBVS ET MODIS, QVIBVS PATRIA POTESTAS SOLVITVR

§. I. *Caput et ſtatus.*
§. II. *De iure neteri et hodierno.*
§. III. *Maxima capitis deminutio, et de illius uſu moderno.*
§. IIII. *Media c. d. eiuſque uſus hodiernus.*
§. V. *Minima. c. d.*
§. VI. *De iure neteri.*
§. VII. *De iure hodierno.*
§. VIII. *De emancipatione.*
§. VIIII. *Nonnulli ipſo iure liberantur a p. p.*
§. X. *De filiabus.*
§. XI. *De filiis.*

§. I.

Supra diximus, de triplici hominum ſtatu, *libertatis*, *ciuitatis* et *familiae*, caput etiam dixerunt romani ſtatum, inde ſeruum negant habere caput, inde ſtatus mutatio capitis deminutio dicitur.

§. II.

In altero logomachia inanis eſſe uidetur. Olim omnis capitis deminutio ſtatum in deterius mutabat, hodie minima non aeque, ſed inde dubium eſt, an mutatio familiae hodie ſit capitis deminutio.

§. III.

Maxima capitis deminutio eſt amiſſio libertatis, haec ciuitatis et iuris familiae iacturam

iacturam continet, cum nemo possit esse paterfam. nisi ciuis, nemo ciuis, nisi, qui liber sit, sed, cum *hodie* seruos habeamus nullos, praeter quam a barbaris captos, facile apparet, exiguum, ac prope dixerim, nullum esse doctrinae, de maxima capitis deminutione, apud nos, usum.

§. IIII.

Per *mediam* capitis deminutionem ciuitatis et simul etiam familiae ius amittitur, salua libertate, hanc fustigatos et religatos *hodie* pati, uulgo, sed perperam, asseritur, cum hi nec potestatem patriam, nec ius testandi, nec reliqua ciuium romanorum, iura perdant. Ad mortem damnati, ne quidem iure ciuili nouissimo, status medii mutationem subire censebantur. Banniti uero hostium instar sunt, et non hanc modo, sed longe grauiorem, status commutationem incurrunt.

§. V.

Minima capitis deminutio familiam tantum mutat. Idem tribus modis contingit, *emancipatione*, per quam filiusfamilias fit paterfam. *arrogatione*, per quam paterfam. fit filiusfam. et *adoptione* plena, ubi filiusfam. in aliam familiam transit.

§. VI.

Olim per eam non modo ius familiae et agnationis extinguebatur, sed et reliqua iura, quae quis habebat, exspirabant omnia, sed praetor ea restituebat capite minutis, excepta habitatione, haec enim ne ad momentum quidem extinguebatur, *l. 10. ff. d. capit. minut.* quam legem uulgo male ad maximam etiam et mediam capitis deminutionem extendunt.

§. VII.

Hodie, apud Saxones, emancipati agnatorum iura retinent, ii in primis, quos lex pro emancipatis haberi iubet, unde emancipati pro capite minutis censeri nequeunt. Arrogati et plene adoptati etiam nunc familiam mutant. Cognationis iura, capitis deminutionem minimam passis, salua sunt, utroque iure, ciuili, inquam, et saxonico. Sed maxima et media capitis deminutio etiam cognationis ius extinguit, quoad effectus, qui iuris humani sunt, non quoad eos, qui iuris diuini uniuersalis, ita bannitus sorori non succedit, quia successio est iuris humani, sororem uxorem ducere prohibetur, quia hic effectus cognationis est ex lege diuina.

§. VIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0062
DFG

§. VIII.

De arrogatione et adoptione tit. praec. actum est, itaque de *emancipatione* tantum super est, ut non nihil dicamus. Explosa legum XII. Tab. subtilitate, omnis apud romanos emancipatio uel rescripto principis, uel magistratus auctoritate, fiebat. Illa *Anastasiana*, haec *Iustinianea*, dicta est, neutra ab usu recessit. Comites vero palatini nec Principis, nec magistratus, uices sibi arrogare possunt, ad certum actum emancipatio quoque fieri nequit.

§. VIIII.

Praeterea ipso iure quidam a p. p. liberantur, ut 1) in dignitate singulari constituti, u. g. consules, consiliarii, qui tamen tantum pro emancipatis habentur, quando id ipsis commodum est, nam beneficia filiorumfamil. retinent. Dein patris delicto, ut incestu, aut expositione infantis. Hisce casibus usus fructus paternus plane exspirat, cum, si uoluntate et beneficio eius emancipatio fiat, dimidium eum leges ipsi relinquant.

§. X.

Moribus germanorum, filiae, per nuptias, a p. p. liberantur, etiam minores

XXI. annis, unde extinguitur usus fructus paternus, licet iam antea fuerint emancipatae, nec in potestatem, soluto matrimonio, recidunt.

§. XI.

Filii non per solas nuptias a p. p. liberantur, sed, dum peculiarem instituunt oeconomiam, etiam absque nuptiis sui iuris fieri censentur, modo sint maiorennes, *P. 2. c. 10.* Parens autem sine causa filium, oeconomiam instituere cupientem, impedire nequit. Hunc emancipationis modum ad filias quoque, non puto, pertinere.

TITVLVS VIII
DE
TVTELA ET CVRA
SECTIO I
DE
TVTELA IN GENERE ET TVTORIBVS TESTAMENTARIIS, LEGITIMIS AC DATIVIS

§. I. *Homines uel sui, uel alieni iuris.*
§. II. *Tutela et cura triplex est.*
§. III. *Testamentarium tutorem dat pater, an quoque mater?*
§. IIII. *Testamentaria tutela uel simplex est, uel confirmata.*
§. V. *Tutor testamentarius quibus datur censeatur.*
§. VI. *Talis tutor praefertur legitimis. An Electores et Principes dare possint.*
§. VII. *Deficiente test. obtinet legitima, aliquando potius datiua.*
§. VIII. *De legitima ascendentium tutela.*
§. VIIII. *Pertinet etiam ad feuda.*
§. X. *Quid matri auiaeque hic incumbat antequam admittatur.*
§. XI. *Quando et quomodo collaterales admittantur.*
§. XII. *Quod ad feuda.*
§. XIII. *De datiua.*
§. XIIII. *Qui tutores dari possint.*

§. I.

Homines sunt uel sui, uel alieni iuris, sui iuris uel plene, uel minus plene. Minus plene sui iuris sunt, qui in tutela, uel cura constituti sunt, pupilli uel minores, reliqui, qui nec tutoribus, nec curatoribus subsunt, pleniſſime sui iuris esse intelliguntur.

§. II.

Tutela ad impuberes, siue pupillos, cura ad minores pertinet, *utraque* est uel *testamentaria*, uel *legitima*, uel *datiua*.

§. III.

Testamentaria tutela, iure ciu. a patre, ui p. p. per testamentum, constituitur, *hodie* etiam mater potest dare tutorem testamento, nisi curatorem eum dicere malis, Nam, quamdiu impuberes in p. p. sunt, tutor ipsis non datur, et, si, patre defuncto, pupillus tutorem iam habeat, tutorem ei, a matre, proprie sic dictum, dari posse, negant. Quod si tamen, post patris obitum, ipsa mater tutelam gesserit, quin postea testamento tutorem dare possit, nullus ambigo.

§. IIII.

Testamentaria tutela iure rom. diuiditur in simplicem et confirmatam. Confirmatione opus erat, si emancipato dabatur, si a matre, si testamento imperfecto, uel destituto, *hodie* non, nisi casu postremo, confirmatio illa necessaria est, cum emancipatis simpliciter testamento tutores dari possint. Qui confirmatione opus habet, ante, quam eam obtinuerit, periculum tutelae non subit, ex quo apparet, confirmationem illam, quam hodie, omnes tutores a iudice impetrant, multum differre, nec discrimen inter tutelam testamentariam simplicem et confirmatam omnino esse sublatam.

§. V.

§. V.

Tutor, testamento datus filiis, etiam filiabus, liberis, etiam nepotibus, constitutus censetur, exheredato etiam dari potest, hodie a matre quoque, si modo iusta in impuberem exheredationis cadat causa.

§. VI.

Tutor testamentarius legitimis quibuscunque, matri etiam atque auiae praefertur, Electores tamen testamento tutorem dare posse plerique negant, sed hoc ex *Aureae Bullae capite VII*, colligi nequit, et ad negotia Electoralia saltim restringi debet. Ad terras, quas, praeter Electoratum, Principes tenent, non pertinere, uulgo quoque contendunt, sicuti, et Principes reliquos testamento tutores dare posse, fatentur.

§. VII.

Si testamentaria tutela deficiat, legitimae locus est. Dico, si deficiat, hoc est, si nullus tutor a testatore constitutus sit, aut constitutus, ante testatorem, decesserit. §. 2. *I. de legit. agn. tut.* Nam, si, post testatorem, tutor testamentarius decedat, non deficit testamentaria tutela. Vnde

perinde, ac si se excuset, uel remoueatur testamentarius, omissis legitimis, quos testator excludere uoluisse censetur, iudex dat tutorem. Sed et, si, testamento constitutus, minor sit, siue furore laboret, interim, donec conualescat, aut legitimam aetatem consequatur, non legitimae, sed datiuae, tutelae locus est.

§. VIII.

Legitima tutela, iure iustinianeo nouissimo, defertur primum matri et auiae, cum quibus ascendentes masculi ita concurrunt, ut, qui gradu propiore pupillum attingit, et in suscipienda tutela aliis praeferatur. Vnde matris ius potius erit, quam aui paterni, auia autem cum auo concurrit, nec lineae hic ratio habetur, sed paternae maternaeque eadem est ratio, ad proauiam an *Nouella* extendi possit, superuacuum fere est indagari.

§. IX.

Haec tutela ad feuda etiam pertinet, Saxones tamen matri auiaeque alios tutores fere adiungere solent, imo, si uerum fateri uolumus, Saxones matrem, nec in allodiis, nec in feudis, ad tutelam admississe uidentur.

§. X.

§. X.

Si suspicere tamen cupiant tutelam mater, aut auia, renunciare tenentur SCto Velleiano, secundis nuptiis et ceteris mulierum beneficiis. SCto quidem, ut fidem suam pro pupillo possint interponere, secundis nuptiis, quia per eas tutela haec finitur, et mutare affectum creditur, quae uitricum mater superinducere cogitat, unde et, quae nunquam nupsit, naturalium liberorum tutrix esse nequit, nisi nuptiis renunciet. Per reliqua beneficia, iura foeminarum intelliguntur, quae, sexus intuitu, ipsis competunt, e. g. iuris ignoratio, quae tutrici non prodest, iura autem, quae tanquam matri ei competunt, non amittuntur, quin, nec absque curatore, in Saxonia, eam contrahere posse, plerique contendunt.

§. XI.

Si ascendentes non adsint, aut tutelae onus declinent, aut dispositione patris a tutela arceantur, ad collaterales illa deuoluitur, et, iustinianeo quidem iure, nullum inter agnatos cognatosque discrimen obtinet, sed gradus tantum propinquitas attenditur. *Saxones* uero agnatos cognatis praeferunt et ex pluribus, in eo-

dem gradu constitutis, seniorem, cum ius commune eos omnes aeque ad tutelam uocet. Cognati nostro iure uix in subsidium admittuntur.

§. XII.

Quod ad *feuda* attinet, tutela agnatis defertur, quibus apud Saxones simultanee inuestiti praeferuntur, ob spem successionis, quamuis leges longobardicae et saxonicae ea de re nihil quicquam caueant, nec, quoad ius saxonicum, desint in contrariam partem coniecturae. Si simultanee inuestiti non adsint, agnatos, spe licet succedendi destitutos, plerique ad tutelam admittunt; alii, dominum directum tutelam suscipere, tradunt, quem olim rationibus reddendis non fuisse obnoxium constat.

§. XIII.

Denique iudex dat tutorem, si testamentaria et legitima tutela deficiat. Pertinet autem hoc ius hodie ad iudicem competentem (ordinarium) cui pupillus immediate subest, et, cui inferior competit iurisdictio, schrifftsassiis dat Princeps, clericis consistorium, reliquis magistratus, cui subsunt.

§. XIIII.

§. XIIII.

Dantur uero tutores, qui dantis iurisdictioni subsunt, cum testamento etiam alii constitui possint, in subsidium tamen etiam alii dari possunt, requisito, cui subsunt, iudice, aut uolentes.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

SECTIO II.

QVI DARI POSSINT TVTORES ET DE EXCVSATIONIBVS TVTORVM

§. XV. *Tutores dari possunt omnes, qui non habent immunitatem.*
§. XVI. *An minor et miles.*
§. XVII. *Excusationes a suscepta tutela.*
§. XVIII. *Vel suscipienda tantum.*
§. XVIIII. *Quales liberi patri hic prosint.*
§. XX. *Aetas alieneque excusationis causae.*
§. XXI. *De Professoribus et clericis.*
§. XXII. *Qui tutor fuit, ad curam inuitus non tenetur.*
§. XXIII. *De modo se excusandi et periculo in appellatione.*
§. XXIIII. *De tempore se excusandi secundum ius Romanum.*
§. XXV. *De iure hodierno.*

§. XV.

Dari autem tutores tam a testatore, quam a iudice, possunt omnes, qui non prohibentur, neque declinare hoc munus possunt, nisi, quibus leges immunitatem praestant. *Filiifam.* eodem iure cum patribusfam. hic utuntur, *seruus* tutor esse non poterat, nisi libertatem a testatore, aut domino suo, fuisset consecutus.

§. XVI.

§. XVI.

Prohibentur tutela fungi minores, qui testamento tamen dari possunt, eoque casu, ex quo maiores facti sunt, tutelam suscipiunt, milites olim, nam hodie tantum excusatione fruuntur.

§. XVII.

Excusationes interdum a suscipienda tantum tutela liberant, aliquando etiam a suscepta. Ab utraque excusantur, qui morbo graui atque diuturno laborant, qui reip. causa absunt, qui in consilium Principis assumuntur.

§. XVIII.

A suscipienda tutela liberat 1) numerus V. liberorum, Romae tres liberi sufficiebant, quo numero qui *hodie*que contenti sunt, priuilegia urbis romanae, cum iure ciuium romanorum, confundunt.

§. XVIIII.

Prosunt uero patri, non liberi adoptiui, sed tantum naturales, non illegitimi, sed legitimi, non nascituri, sed nati, non mortui, sed uiui, ii tamen, qui pro patria ceciderunt, superstites esse finguntur, in fauorem patris, unde ad alios iuris articulos fictio haec extendi nequit.

§. XX.

§. XX.

Dein triplex tutela, paupertas, ignorantia literarum, aetas, 70. annis maior, 60. annos apud Saxones sufficere, nonnulli frustra contendunt, magistratus.

§. XXI.

Sed et, qui propter inimicitiam a testatore dati sunt, professores item et clerici excusantur, qui tamen contra aeque priuilegiatos excusatione illa uti nequeunt.

§. XXII.

Denique, qui tutor fuit, a cura se excusare potest, quod hodie non esse mutatum, ex iis, quae infra monebimus, apparebit, neque testatoris desiderium, qui, tutorem cura simul fungi, uoluit, beneficium, a lege concessum, ei adimere potest.

§. XXIII.

Qui excusatione tutelam declinare cupit, uel per modum exceptionis eam opponit, uel contra delationem appellat, integrum enim ei est, statim, si uelit, ad superiorem prouocare, sed, si causa excusationis non sit idonea, periculum tutelae nihilominus a tempore, quo delata ea est, ad ipsum pertinebit.

§. XXIIII.

§. XXIIII.

Iure romano, qui in urbe erat, uel non ultra quatringentesimum lapidem ab eo loco, ubi tutor datus erat, aberat, intra 50. dies excusationis causam allegare tenebatur, si quis ultra 400. lapides constitutus erat, praeterea in singulos 20. lapides alius dies ei concedebatur, e. g. ob lapides 420. 51. Huc enim redeunt subtilitates, quas TRIBONIANVS et ICti cumulant, qui paullo aliter rem illam tradunt.

§. XXV.

Tempus hoc, respectu initii, utile erat, continuum, ratione cursus. Hodie arbitrarium spatium iudex indulget, quod apud nos plerumque terminum saxonicum solet complecti.

SECTIO III
DE
CONFIRMATIONE ET SATISDATIONE TVTORVM

§. XXVI. *Omnes hodie tutores confirmantur.*
§. XXVII. *Iurare debent, quod hodie negligitur.*
§. XXVIII. *Satisdant.*
§. XXVIIII. *Conficiendum inuentarium, uel iurata specificatio edenda.*

§. XXVI.

Si tutor sponte oneri tutelae se submittat, aut excusatio eius reiiciatur, iudex eum

eum confirmat. Diximus enim hodie tutores quoscunque confirmari, quem in finem decretum ipsis datur, ut, si, pupillorum nomine, contrahere, uel in iudicio experiri uelint, exceptio illegitimationis illis nequeat opponi.

§. XXVII.

Iuramentum etiam ab iis, ius iustinianeum nouissimum et Imperii, exigi, praecipit, sed mores Saxoniae hoc negligunt, unde plerumque promissione simplici defunguntur, qua, se, ex fide et debita cum diligentia, munus suum gesturos esse, promittunt.

§. XXVIII.

Satisdatio, iure romano, tantum a legitimis tutoribus et ab illis, qui, sine inquisitione, dati erant, iure Imperii, ab omnibus exigitur. Ius Saxonicum legitimos tutores, qui proximi successores pupilli sunt, ab ea liberat, *a.* Land. R. *L. I. a.* 23. Moribus autem plane negligitur, in primis, si immobilia tutores possideant, quamuis ratio, quod per tacitam hypothecam pupillo satis prospectum sit, frustra allegetur ab iis, qui consuetudinem hanc tuentur atque excusant.

§. XXVIIII.

§. XXVIIII.

Denique leges iubent, tutorem, dum tutelam suscipit, inuentarium conficere, quod si omiserit, apud Saxones iuratae specificationi locus relinquitur, secundum CARPZ. *P. 2. C. 11. D. 6.* licet haec sententia pupillis non parum noxia uideatur.

SECTIO IIII
DE
AVTORITATE ET ADMINISTRATIONE TVTORVM

§. XXX. *De munere tutoris in genere.*
§. XXXI. *Si pupillus infans.*
§. XXXII. *Si infantia maior, dissentiunt DD.*
§. XXXIII. *Sed communis sententia probabilior est.*
§. XXXIIII. *An pupilli sine tutore obligentur.*
§. XXXV. *De contractu claudicante.*
§. XXXVI. *De dolo pupilli.*
§. XXXVII. *Aut si locupletior factus.*
§. XXXVIII. *De auctoritate tutorum et consensu curatorum.*
§. XXXVIIII. *Quid si cum pupillo contrahere uelit.*
§. XXXX. *De rationibus a tutore reddendis.*
§. XXXXI. *Qualem culpam tutor praestet eiusque heredes.*
§. XXXXII. *Vsuras praestat, si pecunia pupillari ipse sit usus.*
§. XXXXIII. *Salarium tutor non habet, indemnis tamen praestandus.*
§. XXXXIIII. *Actio tutelae directa, contraria, utilis.*

§. XXX.

Administrant tutores, quando soli pupillorum negotia peragunt, auctoritatem praestant, quando pupillo assistunt, et, quae ille agit, approbatione sua corroborant.

§ XXXI.

§. XXXI.

Quamdiu pupillus infans, autoritas ei praestari nequit, ergo tunc tutor tantum administrat.

§. XXXII.

Quodsi infantia maior sit, iam tum ipsis negotiis adhiberi potest, an debeat, non aeque expeditum est, plerique negant, et ideo, raram esse hodie autoritatis praestationem, contendunt, quia tutores plerumque tantum administrant. Alii tamen, absque pupillo, tutorem nihil quidquam ualide peragere, contendunt, ut tutius omnino sit, eos omnibus negotiis ipsos adhiberi.

§. XXXIII.

Communis tamen sententia, quoad negotia iudicialia, ipsis legibus romanis approbata est, imo et, quod ad extra iudicialia attinet, admodum probabilis esse uidetur, *a. l. 2. ff. quand. ex fact. tut.* et *l. 1. §. 2. ff. d. admin. et peric. tut.*

§. XXXIIII.

Contra pupilli, absque tutore, se obligare nequeunt, ut ne naturaliter quidem teneantur, si effectus ciuiles obligationis

naturalis reſpicias. Fideiuſſor tamen, qui, intuitu huius qualitatis, interuenit, pro expromiſſore habetur, adeoque omnino obligatur.

§. XXXV.

Valet tamen contractus, a ſolo pupillo initus, quatenus ei eſt utilis, itaque alter recedere nequit, pupillus poteſt, hinc claudicare dicitur, hinc ei, qui cum pupillo contraxit, contra tutorem datur actio, ut ſe declaret, utrum ratum habere, an irritum uelit declarare.

§. XXXVI.

Ex dolo quoque ſuo pupillus obſtringitur, imo et, ſi criminis accuſetur, confeſſio, abſque tutore facta, ei hodie nocet, quod olim ſecus erat, *l. 4. C. h. t.*

§. XXXVII.

Tenetur etiam, quatenus eſt factus locupletior, ne, cum aliorum damno, lucrum percipiat. Addunt alii, ex negotio geſto etiam obſtringi, uerum ex eo quoque, niſi inde melior ipſius conditio facta ſit, non obligatur, *l. 6. l. 37. ff. d. neg. geſt.*

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Sed ad autoritatem et administrationem tutorum reuertamur. Autoritatem tutor ut praesens, et in ipso negotio et pure, i. e. absque conditione, interponat, necesse est. Si ex interuallo negotium approbet, magis administrare, quam autoritatem praestare, uidetur, ualere tamen id, quod actum est, puto, ex eo tempore, quo ratihabitio tutoris accessit, saltim hodie. Curatorum, qui minoribus et mulieribus dantur, consensum et ratihabitionem superuenientem sufficere, plerique concedunt.

§. XXXVIIII.

Si ipse tutor cum pupillo contrahere, aut agere aduersus eum, uelit, alius curator pupillo dandus est, neque enim tutor in rem suam autor fieri potest.

§. XXXX.

Administrationis suae tutor hodie quotannis rationes reddere tenetur, in loco gestae tutelae. *Iure Saxon.* agnatus, qui proximus pupilli heres est, rationibus reddendis non est obnoxius. Ex quo interpretes inferunt, eum non quotannis, sed, finita demum tutela, rationes reddere

teneri. Verum *ius Sax. Elect.* hoc discrimen sustulit, et, a quibuscunque tutoribus quotannis rationes, iubet, exigi, *P. 2. C. 11. Ref. grau. d. an. 1609. grau. 6.* Vt mirer, BERLICHIVM, CARPZOVIVM et alios, etiam post has leges latas, differentiam legitimorum et reliquorum tutorum urgere.

§. XXXXI.

Praestat autem dolum et culpam, latam scilicet et leuem, non leuissimam, nec casum, si tamen negligens sit, non sufficit industriae, quam rebus suis adhibet, gradus, sed, quem diligentes patres fam. adhibere solent, is a tutore exigitur. Contra, si diligentissimus sit, eadem fide et industria, qua rebus suis praeest, etiam pupilli negotia curare debet. Heredes tantum latam culpam defuncti praestare, plerique censent.

§. XXXXII.

Porro ad *usuras*, pupillo praestandas, tutor obstringitur, saltim, si propriam pecuniam bene collocauerit, quod si pecuniam pupilli in suos usus propria autoritate conuerterit, *centesimas* usuras et usurarum etiam usuras soluere tenetur.

§. XXXXIII.

§. XXXXIII.

Pupillus contra tutori indemnitatem praestat, non salarium, nisi lege aut consuetudine aliud introductum, aut ipse operas pupillo praestiterit, quae ad tutorum officium proprie non pertineant.

§. XXXXIIII.

Actio tutelae directa datur pupillo, contra tutorem, contraria tutori, aduersus pupillum, utraque est ciuilis, personalis, rei persecutoria, perpetua, b. f. et heredibus datur et aduersus heredes, utraque in directam et utilem subdiuiditur, haec minori, aduersus curatorem, datur, et curatori, aduersus minorem.

SECTIO V

DE

QVIBVS MODIS TVTELA FINIATVR

§. XXXXV. *Tutela finitur morte pupilli, aut tutoris.*
§. XXXXVI. *Pubertate pupilli et cura maiorennitate minoris.*
§. XXXXVII. *De tutorum remotione.*
§. XXXXVIII. *Quomodo sigillatim finiatur tutela testam. et legit.*
§. XXXXVIIII. *De cura furiosorum etc. remissiue.*

§. XXXXV.

Finitur tutela morte pupilli, siue naturali, siue ciuili, item morte tutoris, quamuis hoc casu alius pupillo tutor substituatur.

§. XXXXVI.

Dein exſpirat tutela, poſtquam pupillus ad pubertatem uenit, quae ex annis aeſtimatur, 14. in maſculis, 12. in foeminis. Saxones, quoad feuda, annum 13. cum additamento ſeruant, ſeruare certe debebant, Lehn-R. *c.* 26. Cura iure communi, anno 25. iure Saxon. anno 21. finitur.

§. XXXXVII.

Porro, uti excuſatio a ſuſcepta quoque tutela interdum liberat, ut ſupra monuimus, ita etiam, per remotionem, ſuſpecti tutores ab adminiſtratione excluduntur. Remouentur autem non niſi, ob dolum et latam culpam, qui propter dolum condemnantur, infames fiunt, ceteri non aeque, legitimis tutoribus curator adiungi ſolet, niſi cauſae indignitas eos iubeat remouere.

§. XXXXVIII.

His modis tutela quaecunque finitur, teſtamentaria autem in ſpecie, lapſu temporis adiecti et conditionis exiſtentia, legitima apud Saxones arrogatione, materna nuptiis

nuptiis secundis, quos modos supra iam suis locis indicauimus.

§. XXXXVIIII.

De cura furiosorum, mente captorum, mulierum, agitur in latioribus digestorum uoluminibus. Nobis haec, principiorum loco, sufficient.



LIBER II

DE IVRE RERVM

TITVLVS I

DE RERVM DIVISIONE

§. I. *De rebus nullius ante respublicas.*
§. II. *Tales non dantur in republica.*
§. III. *Omnes aut reipublicae, aut in priuatorum patrimonio.*
§. IIII. *Princeps concedit communes aut publicas.*
§. V. *Nullius, quas Princeps aut respubl. neglexit.*
§. VI. *De sacris, religiosis, sanctis.*
§. VII. *Iustinianea rerum diuiso non est iuris gentium, sed ciuilis.*
§. VIII. *Princeps de rebus communibus et publicis aliter potest disponere.*
§. VIIII. *Res sacrae quomodo fiant.*
§. X. *De rebus ecclesiasticis.*
§. XI. *De religiosis.*
§. XII. *Res corporales aut incorporales sunt.*
§. XIII. *Corporales uel mobiles, uel immobiles.*

§. I.

Ante res publicas conditas, omnes res fuerunt nullius, aut, si mauis communes. Nam proprietas ad neminem pertinebat, usus ad omnes, nisi quod possessio possidenti ius potius prae reliquis tribueret. Dominium sibi asserere nullus poterat, praeterquam ex conuentione, quae solos pacisscentes non ceteros, obligabat.

§. II.

§. II.

Contra in republ. non dantur res nullius, neque res communes, nisi, quas ciuitas tales esse, declarat, sed omnes res aut priuatorum sunt, aut publicae, i. e. ciuitatis, et hoc sensu recte dicuntur res esse uel in patrimonio, sc. priuatorum, uel extra patrimonium constitutae, nimirum res ciuitatis, quae in reip. patrimonio sunt.

§. III.

Itaque et res communes et res publicae et res nullius et sacrae, sanctae ac religiosae, sunt reipublicae, res uniuersitatis in patrimonio priuatorum sunt, quatenus uniuersitas illa unam personam, et mysticum quasi corpus, constituit, et ad rem publicam referuntur.

§. IIII.

In arbitrio itaque principis, aut reipublicae est, de rebus hisce disponere, qui si earum usum quibuscunque permittat, communes illae dicuntur (in sensu iuris romani.) sin ciuibus solum, publicae, proprietas utrarumque ciuitatis est, ut, perperam, de rebus communibus, uulgo sentire uideantur.

§. V.

Quod si ciuitas res quasdam plane negligat, ac nihil de usu earum disponat, nullius illae sunt, seu, quod perinde est, communes, ita tamen, ut res publica semper eas sibi uindicare possit.

§. VI.

Sed et res *sacrae* ciuitatis sunt, cuius autoritate commercio et usui priuatorum eximuntur, res *religiosae* olim priuatorum, *hodie* ciuitatis sunt, res sanctas ad rempubl. hodie pertinere, nemo forte est, qui neget.

§. VII.

Ex his facile apparet, ea, quae, in iure iustinianeo, de rerum diuisione, traduntur, non esse iuris gentium, sed iuris ciuilis, adeoque a principe libere posse mutari, imo ne in dubio quidem obseruari debere, nisi princeps, ea sibi placere, declaret, quod ex iuris iustinianei sola receptione uix inferre licet, cum ne illud quidem certum sit, an, ipsius Iustiniani tempore, philosophia illa, quoad singula capita, in usu fuerit, quae rebus publ. democraticis magis, quam monarchicis imperiis, conuenit.

§. VIII.

§. VIII.

Hinc, quoad usum *aëris*, *aquae* et *maris*, disponendi potestatem principi omnes tribuunt, licet illa ad res communes iure romano referantur, usus fluminum priuatis (siue ciuibus, siue extraneis) ex beneficio principis, non natura sua, competit, eademque reliquarum rerum, quae *publicae* dicuntur, est ratio, *feras bestias* occupare, non cuiuis integrum est, nequidem in fundo proprio, sed iis, qui ius uenandi impetrarunt, quae omnia iuris gentium principiis conueniunt, quod plerique populi, relictis LL. romanis, sequuntur.

§. VIIII.

De rebus *sacris*, *sanctis* atque *religiosis*, iam diximus, pauca tamen adhuc addenda sunt, nimirum, *sacras* res constitui destinatione et usu, accedente autoritate reipublicae, in primis quoad aedes publicas, nam in mobilibus tacitus consensus sufficit, consecratio apud protestantes recte negligitur, licet utroque et canonico et ciuili iure requiratur.

§. X.

§. X.

Res, quae in patrimonio ecclesiae sunt, ad res sacras non pertinent, sed quodammodo priuatorum sunt, quatenus etiam ecclesiae et ecclesiastica collegia priuatorum rationem habent, alienari nequeunt, nisi accedente consistorii autoritate, ubi tamen etiam utilis causa sufficit.

§. XI.

Locum religiosum hodie non illatio mortui, sed publica destinatio facit, priuatis, locum religiosum constituere, non amplius permittitur, nisi a republ. assignetur, ius inferendi in locum publicum, pro pecunia concedi solet, quae aerario ecclesiastico plerumque cedit, sepultura in urbe, imo etiam in templo, moribus toleratur.

§. XII.

Progredimur ad aliam rerum diuisionem, res enim aliae sunt *corporales*, aliae *incorporales*, cuius distinctionis usus apparet ex doctrina de pignoribus et executione.

§. XIII.

§. XIII.

Corporales sunt uel mobiles, uel immobiles, immobiles uel naturaliter, uel ciuiliter tales, hae lege aut destinatione hominis immobilibus accensentur. Vtilitas huius diuisionis maxima est, quod ex articulis iuris, de usucapione, uenditione, cautione, oppignoratione, alienatione, successione, aliisque, satis liquet. Incorporales res aliquando mobilibus, pleraeque immobilibus, annumerantur.

TITVLVS II

DE

IVRE RERVM ET DIVISIONE IVRIS IN RE ET AD REM

§. I. *Ius circa res quotuplex.*
§. II. *Quomodo ius in re et ad rem differat.*
§. III. *Quot sint species iuris in re, dissentiunt DD.*
§. IIII. *Sunt V. secundum sententiam communem.*

§. I.

Ius, quod circa res competit, in *ius in re et ad rem* diuiditur, quos terminos Dd. in scholis receperunt, cum in LL. nulla eorum occurrat mentio, nisi quod iuris in praebenda et ad praebendam mentio fiat, in *c. 40. de praeb. in 6.* et actiones aliae in rem, aliae in personam dari dicantur, in *l. 25. ff. de o. et a.*

§. II.

Ius in re facultatem nobis praestat, rem a quocunque possessore uindicandi, hinc rem afficere dicitur, et actio, qua rem nobis asserimus, realis uocatur. Contra ius ad rem non aduersus quemcunque, sed eum duntaxat, qui ex suo facto nobis obligatus est, actionem praestat, actiones, inde oriundae, personales appellantur.

§. III.

§. III.

Iuris in re plerique V. ſpecies conſtituunt, cum HAHNIO et SVENDENDOERFFERO, dominum ſeruitutem, ius hereditarium, pignus et poſſeſſionem, alii tres, cum STRVVIO, alii, cum BORNIO et THOMASIO, unam, FELTMANNVS ſex, PAGENSTECHERVS etiam plures, ſed diuerſae illae ſententiae facile conciliari poſſunt, niſi, quod, qui unam tantum ſpeciem admittunt, poſſeſſionem ex numero iurium in re excludant, quae utrum ius in rem tribuat et actionem realem producat, in utramque partem diſputari poteſt.

§. IIII.

Nos tantiſper communem doctorum ſequemur ſcholam, atque ita 1) de dominio, 2) de poſſeſſione, 3) de iure pignoris, 4) de ſeruitute et 5) loco, de iure hereditario, diſpiciemus.

TITVLVS III

DE

DOMINIO ET MODIS ACQVIRENDI RERVM DOMINIVM

§. I. *Dominium quid sit.*
§. II. *Est uel eminens uel vulgare.*
§. III. *Naturale uel ciuile, reuocabile uel irreuocabile, plenum aut minus plenum.*
§. IIII. *De modis acquirendi Iustinianeis.*
§. V. *Horum diuisio.*
§. VI. *et* VII. *Censura iuris Iustinianei.*
§. VIII. *Modi acquirendi emendatiores.*
§. VIIII. *Conspectus modorum, quos naturales uocat Iustinianus.*
§. X. *Horum triplex consideratio.*
§. XI. *De occupatione extra rem publicam.*
§. XII. *Iure gentium ferae bestiae sunt in patrimonio reipubl.*
§. XIII. *De acquirendis feris bestiis iure romano.*
§. XIIII. *In uenatione hodie ius gentium valet.*
§. XV. *In quo conueniat ius hodiernum cum romano.*
§. XVI. *De mansuetis et mansuefactis animalibus.*
§. XVII. *De captiuitate.*
§. XVIII. *Valet hic ius gentium.*
§. XVIIII. *De inuentione.*
§. XX. *De accessione et naturalis speciebus.*
§. XXI. *De foetura.*
§. XXII. *De alluuione.*
§. XXIII. *De coalitione.*
§. XXIIII. *Insulae productio.*
§. XXV. *Ius roman. de insulis.*
§. XXVI. *De alueo derelicto.*
§. XXVII. *Ius romanum.*
§. XXVIII. *De inundatione.*
§. XXVIIII. *Species accessionis industrialis.*
§. XXX. *Specificatio secundum ius gentium.*
§. XXXI. *et* XXXII. *Ius Iustinianeum.*
§. XXXIII. *Frumenti excussio.*
§. XXXIIII. *et* XXXV. *Adiunctio eiusque species.*
§. XXXVI - XXXVIII. *Confusio et commixtio.*
§. XXXVIIII. *De mulso et electro.*
§. XXXX. *De inaedificatione.*
§. XXXXI. *De uindicatione materiae.*
§. XXXXII. *Si b. f. in alieno aedificatum.*
§. XXXXIII. *De scriptura et pictura.*
§. XXXXIIII. *De accessione mixta eiusque speciebus, satione, implantatione.*
§. XXXXV. *Fructuum perceptione.*
§. XXXXVI. *Quotuplices sint fructus.*
§. XXXXVII. *De thesauro.*
§. XXXXVIII. *et* XXXXVIIII. *De traditione.*
§. L. *Haec requirit titulum.*
§. LI. *Res immobiles iudicialiter traduntur.*
§. LII. *Traditio propria, uel impropria, uera uel ficta.*
§. LIII. *Generalis uel specialis.*

§. I.

§. I.

Dominium igitur est ius in re, ui cuius res corporalis, singularis, alicuius ita est propria, ut eam a quocunque possessore uindicare, et de ea libere disponere, possit, nisi potestatem hanc lex, aut conuentio, restringat.

§. II.

Dominium hoc diuiditur in *eminens* et *uulgare*, hoc singulis subditis, illud reipubl. competit, in res quascunque subditorum, et in *ordinarium* ac *extraordinarium* subdiuiditur, imperium alii dicere malunt, sed his satisfecit HORNIVS, qui, contra LYSERVM, dominium eminens strenue asserit, ex legibus tamen ciuilibus non aeque feliciter id probare conatus est.

§. III.

Porro dominium in *naturale* et *ciuile*, in *reuocabile* et *irreuocabile* dispescitur, in primis autem in *plenum* et *minus plenum*, minus plenum in *directum* et *utile*, quo feudum, emphyteusin et superficiem, referre solent.

§. IIII.

Iam uideamus modos acquirendi rerum dominia, quamuis illi non ad domi-

nium tantum, sed ad quaecunque alia iura, etiam acquirendia, pertineant. IVSTINIANVS hic philosophum, sed infeliciter satis, egit, ciuilia instituta cum principiis naturalibus passim commiscens.

§. V.

Is ergo modos acquirendi rerum dominia diuidit in *naturales* atque *ciuiles*, §. *u. I. h.* ciuiles in *uniuersales* et *particulares*, §. *f. per quas pers. cuique acquir.* ad *particulares* refert *usucapionem*, *donationem*, *legatum* et *fideicommissum particulare*, ad *uniuersales*, *ius hereditarium*, *bonorum possessionem*, *arrogationem* et *addictionem bonorum*, *naturales* prolixe commemorat h. t. quos ad tria genera Doctores uulgo referunt, ad *occupationem*, *accessionem* et *traditionem*.

§. VI.

Sed haec ita comparata sunt, ut accuratam censuram haud sustineant, nam donatio titulus quidem est acquirendi, non modus, cum dominium demum per traditionem transferatur et, si ad modos referri posset, ad naturales referri debebat, non ad ciuiles. Cumque etiam omnia bona donari possint, non apparet, cur inter particulares tantum commemoretur.

§. VII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0094
DFG

§. VII.

Contra modi, quos naturales uocat, plerique optimo iure ad instituta ciuilia referri debebant, aequitati et simplicitati naturali plane non conueniunt, quod clarius patebit, ubi singulos, qui h. t. recensentur, considerauerimus.

§. VI I.

Rectius interim modi acquirendi dominium diuidi posse uidentur, in *immediatos* et *mediatos*, aut, si ita mauis, in *originarios* et *deriuatiuos*, quorum illi sine facto alterius (saltim priuati) dominos nos constituunt, hi dominium, quod antea alteri quaesitum erat, titulo, siue oneroso, siue lucratiuo, ad nos transferunt.

§. VIIII.

Sed ad modos, quos IVSTINIANVS naturales uocat, reuertamur. Ad tres classes, diximus, a Dd. reuocari, singulis certas species assignant, ceu ex ea, quam subiicimus, tabula apparebit.

Modi acquirendi rerum dominium sunt uel

- Ciuiles (uid. super §. 5.)
  - Occupatio
    - Venatio
      - Aucupium
      - Piscatio
      - Venatio in specie sic dicta
        - Maior
        - Media
        - Minor
    - Captiuitas
    - Inuentio
- uel Naturales
  - Accessio
    - Naturalis — Foetura, alluuio, coalitio, insulae productio, aluei destitutio
    - Artificialis — specificatio, adiunctio, inaedificatio, scriptura et pictura,
    - Mixta — fatio, implantatio, fructuum perceptio
    - Fortuita, ut thesaurus.
  - Traditio

quamuis non omnes eadem hic ratione diuidendi utantur.

§. X.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0096
Universitäts Bibliothek Rostock
DFG

§. X.

Nos singulos acquirendi, quos IVSTINIANVS recenset, modos ita considerabimus, ut 1) quid naturalibus principiis conueniat, 2) quid LL. Rom. constituant, tandem 3) quid usus hodiernus ferat, ubique attendamus.

§. XI.

Occupatio igitur, quicquid uulgo dissentiant, extra rempublicam non est modus naturalis acquirendi dominium, quod sola conuentione, in statu naturali, acquiri poterat, in ciuitatibus nihil est, quod occupari possit, cum omnia iam breui quasi manu respubl. occupauerit, nisi ea iure suo uti nolit, ac aliquas eius partes priuatis derelinquat.

§. XII.

Inde sequitur, feras bestias, siue in coelo, siue in terra, siue in mari, nascuntur iure gentium, in patrimonio reipubl. esse, adeoque uenationem, aucupium et piscationem, ad regalia pertinere, neque a priuatis exerceri posse, nisi usum eius expressa aut tacita uoluntate impetrauerint.

§. XIII.

Romano iure, uenatio omnibus permissa

fuit, etiam in fundo alieno. Acquirebantur autem ferae demum per occupationem, *uulneratio* non sufficiebat. In dominio nostro esse censebantur, quamdiu custodia nostra detinebantur, ex qua elapsae, iterum incipiebant esse nullius, et quamuis gnorismate essent notatae, ab aliis quibuscunque capi poterant, nisi quod, quamdiu in conspectu pristini domini essent, in eius potestate adhuc quodammodo etiam constitutae censebantur.

§. XIIII.

Hodie ius gentium, non ius ciuile, sequimur. Venationem ad regalia referimus, ne infundo quidem proprio, absque priuilegio principis, uenari licet. Poenae grauissimae in uiolatores iuris huius sanctae sunt, quae, non dubito, quin ad capitis etiam supplicium extendi possint.

§. XV.

In eo conuenit ius nostrum (sc. hodiernum) cum LL. romanis, quod ferae, ex custodia elapsae, nostrae esse desinant, imo, saxonico iure, etiamsi adhuc in conspectu nostro sint, tamen potestati nostrae se subduxisse censentur, unde etiam examen apum euolans statim a uicino intercipi potest.

§. XVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0098
DFG

§. XVI.

Ceterum animalium manſuetorum et manſuefactorum alia eſt ratio. Eorum dominium ultra poſſeſſionem durat, qui ea occupat, furtum committit. Manſuefactis hodie feras exoticas accenſere ſolent.

§. XVII.

Alter occupationis modus *captiuitas*, ſeu bellica occupatio, dicitur. Per hanc hoſtium res et perſonae nobis acquiruntur, iure gentium quidem non ſingulis, ſed reipubl. cuius auſpiciis bellum geritur. Acquiſitio rerum, ſiue mobilium, ſiue immobilium, ſtatim fit, ſimul atque occupantur.

§. XVIII.

In his ſequitur ius romanum iuris gentium principia, niſi, quod res, extra miniſterium publicum captas, priuatis (ſingulis) attribuat, et res mobiles demum, ſi intra praeſidia deductae ſint, occupantibus cedere dicantur, *l. 5. §. 1. ff. h.*

§. XVIIII.

Sequitur *inuentio*, quae ad res inanimatas pertinet. Iure romano res, hoc modo occupata, inuentori cedebat, ſed

ius gentium has quoque reipubl. tribuit. Quod hodie maxime in rebus, quae in alicuius pretio sunt, seruamus, nisi respubl. usum aliis permittat.

§. XX.

Pergimus ad *accessionem*, quam in naturalem, artificialem, (industrialem) mixtam et fortuitam, supra diuisimus. *Naturalis* quinque modos recenset IVSTINIANVS, foeturam, alluuionem, coalitionem, insulae productionem et aluei destitutionem.

§. XXI.

Circa *foeturam* recte constituit ius romanum, partum domino uentris cedere, idque aequitati conuenit, et usu hodierno seruatur. GROTII dubiis satisfecit HVBER. *digress. l. 4. c. 23.* Dicitur autem foetura accessio, quia foetus est pars uiscerum maternorum, *l. 1. §. 1. D. de uentr. inspic.*

§. XXII.

Alluuione nobis acquiritur, quando flumen agro nostro latenter et paulatim aliquid adiicit, ita, ut, quantum quouis tempore adiectum sit, intelligi non possit. Haec in limitatis agris locum non habet, sed in iis tantum, qui nullis limitibus sunt circumscripti.

§. XXIII.

§. XXIII.

Contra, si ui fluminis pars uicini praedii, uno ueluti impetu, ad fundum nostrum appellatur, id non antea nobis acquiritur, quam cum praedio nostro coalescat, quod factum esse intelligitur, si arbores, quas flumen secum traxit, in fundo nostro radices egerint. Hunc modum alii *appulsionem*, alii *coalitionem*, uocant. Atque haec omnia hodieque obtinent, neque rationibus naturalibus destituuntur.

§. XXIIII.

Insulae, in flumine natae, reipublicae sunt, cuius flumen est. Recte ergo principes eas sibi uindicant, ita insulas, quae in Albi nascuntur, Diu. AVGVSTVS sibi asseruit. uid. ZIEGLER. *d. I. M. lib. 2. c. 15. th. 27.* Frustra igitur uulgo tradunt, in Saxonia electorali, ius ciuile quoad insulas, obseruari.

§. XXV.

Iure romano, insula illis cedit, qui uicina praedia possident, pro mensura latitudinis, ut maior pars ei cedat, cui insula est propior. Sed haec obtinent in insulis, quae in flumine, non in illis, quae in mari, nascuntur, neque in iis, quae in flumine natant et terrae nondum cohaerent.

§. XXVI.

Alueum derelictum hodie plerumque respublica sibi uindicat, ad quam etiam gentium iure non minus, quam nouus alueus, pertinet, nisi, quod aequitas, iis, quorum agros nouus alueus occupauit, quacunque ratione satisfieri, postulet. Vnde, si flumen ad ueterem alueum reuertatur, nouum alueum, iterum derelictum, prioribus dominis restituendum, putem.

§. XXVII.

Sed ius ciuile alueum derelictum uicinis attribuit, eo quoque casu, quo nouus alueus, flumine ad ueterem alueum reuertente, derelinquitur, nisi statim et uno ueluti impetu fluuius ab alueo nouo, quem occupauerat, iterum recedat.

§. XXVIII.

Per inundationem autem possessoribus dominium non perit, saltem statim ad eos redit, *l. 23. π. quemadm. usufruct. amitt.* Imo ne possessio quidem amittitur, in primis, si quis animum eius retinendae declaret.

§. XXVIIII.

Post modos accessionis naturalis sequitur *industrialis*, seu *artificialis accessio*, ad quam

quam ſpecificatio, adiunctio, inaedificatio, ſcriptura et pictura, refertur.

§. XXX.

Quod ad *ſpecificationem* attinet, naturalis aequitatis eſt, in domini materiae arbitrio eſſe debere, utrum ſpeciem ſibi uindicare, an aeſtimationem materiae petere, uelit, ſi modo priori caſu ei, qui b. f. ſpeciem fecit, operae et impenſarum pretia reſtituat.

§. XXXI.

IVSTINIANVS diſtinguit, an ſpecies ex materia, plane aliena, an ex materia, partim propria, partim aliena, facta ſit, dein, ſi ex aliena facta ſit, an in ſtatum priſtinum ea reduci poſſit, an uero nequeat, ſique materia plane aliena ſit, ac reduci ad priorem ruditatem poſſit, ſpeciem materiae domino addicit, alias ſpecificanti.

§. XXXII.

Is tamen, qui ſpeciem fecit, domino materiae aeſtimationem praeſtat, imo, ſi in m. f. fuit, furti etiam conueniri poteſt actione.

§. XXXIII.

Vtrum frumenti excuſſio ſit ſpecificatio, ambiguum eſt. Negat IC. in *l.* 7. §. 7. *ff. h.*

ff. h. affirmat Imperator, in §. *26. I. h.* cuius sententiam praeferendam esse, existimarim.

§. XXXIIII.

Per *adiunctionem* nobis acquiritur, quando res aliena rei nostrae principali ita iungitur, ut species noua inde non fiat. Haec nobis accedit, licet sit pretiosior, quam nostra res, cui iungitur. Huc pertinet *intextura*, *feruminatio* et *adplumbatura*.

§. XXXV.

Aestimatio tamen praestanda ei est, cuius res nostrae accessit, eadem ratione, qua in specificatione ei satisfieri, diximus.

§. XXXVI.

Referunt plerique ad adiunctionem etiam *confusionem* et *commixtionem*, ex quibus confusionem ad res liquidas, commixtionem ad res aridas, putant, pertinere, in LL. tamen romanis uocabula haec saepius promiscue accipiuntur.

§. XXXVII.

De his ita tenendum, si, uoluntate utriusque domini, res misceatur, corpus commune fit, sin casu, culpa uel facto tertii, quilibet id, quod suum est, recipit,

pit, quod si id secerni nequeat, communioni locus est, v. g. si frumentum meum cum frumento alieno confundatur, ibi enim singula corpora uindicari nequeunt, quicquid IVSTINIANVS contradicat, *in §. 28. b.*

§. XXXVIII.

Si unius facto res confundantur, aut species noua ex confusione nascitur, et obtinent, quae de specificatione supra diximus, alias perinde habetur, ac si casu confusio facta fuisset, ita tamen, ut ad interesse actio ei competat, cuius causa inde facta est deterior.

§. XXXVIIII.

Quae de mulso igitur et electro, in §. 27. *I. b.* traduntur, pertinent ad confusionem, casu, uel utriusque consensu, factam. Ita conciliandus est hic §. cum praecedenti 25.

§. XXXX.

De *inaedificatione*, hanc regulam IVSTINIANVS tradit, domino soli cedere, quicquid ei inaedificatum est, siue alius ex sua materia in fundo meo aedificet, siue in fundo suo materia aliena, siue materia aliena, in fundo alieno.

§. XXXXI.

Neque is, cuius materia aedificatum est, eam, stante aedificio, uindicare potest, diruto, potest, nisi iam aestimatio eius ipsi praestita fuerit. Hanc consequitur actione in factum, actio enim de tigno iuncto tantum ad tignum furtiuum pertinet, haec ad duplum datur, quod (duplum), si contra b. f. iungentem actio instituatur, et rem et poenam continet, contra m. f. possessorem, actione mota, mere poenale est.

§. XXXXII.

Is contra, qui b. f. sua materia in alieno solo aedificauit, aestimationem materiae, utili actione negotiorum gestorum, consequitur, saltem quatenus alterius conditionem reddidit meliorem.

§. XXXXIII.

Scripturam chartae, *picturae* contra tabulam, cedere, ex §. 33. *I. h.* patet, qui derogat *legi 23. ff.* § 3. *d. R. V.* sed, quoad scripturam, moribus ius ciuile non attenditur.

§. XXXXIIII.

Iam ad *accessionem* mixtam accedimus, cuius species sunt satio, implantatio, et per-

perceptio fructuum. Quod fundo noſtro *inſitum* eſt, ſtatim, quod *implantatum*, ex quo planta radices egit, noſtrum eſt. Seminis autem pretium b. f. aeque ac m. f. poſſeſſor conſequitur, cum fructus non intelligantur, niſi deductis impenſis, *l. 37. ff. d. R. V. l. 36. §. ult. ff. de her. pet.* uide tamen *l. 5. C. d. R. V.* ex qua alii inferunt, m. f. poſſeſſorem tollere tantum fructus maturos, ſeminis pretium poſtulare non poſſe.

§. XXXXV.

Fructus, percipiendo reuocabiliter, conſumendo irreuocabiliter, b. f. poſſeſſor acquirit, ut tamen domino conſumtos etiam, quatenus locupletior factus eſt, reſtituere teneatur. Quod aequitas poſtulat, et ius hodiernum obſeruat, imo et iuri romano ſatis conuenit, *u. l. 25. et l. 28. d. her. pet. §. 2. I. d. O. I.* Malae fidei poſſeſſor et perceptos et percipiendos reſtituere compellitur.

§. XXXXVI.

Diuiduntur autem fructus 1) in ciuiles et naturales, naturales in induſtriales et naturales in ſpecie, 2) in pendentes et ſeparatos, 3) in extantes et conſumtos, extantes, uel uere, uel ficte tales ſunt, conſumti

sumti uel bona, uel mala fide, 4) in perceptos et percipiendos, quarum diuisionum usus maximus est, sed quem plenius exponere non est huius instituti.

§. XXXXVII.

Thesaurum ad accessionem fortuitam referimus, quamuis alii malint, eum inter occupationis species, commemorare. Cedit enim, pro dimidia parte, inuentori, pro altera, fundi domino. Domino quidem etiam utili, aut reuocabili, uxor tamen, in fundo dotali, marito praefertur inuentori, si casu, non, si data opera, inuenerit, multo minus, si artibus illicitis. Quod si ipse dominus iis usus fuerit, thesaurus fisco cedit. In loco publico dimidium reipubl. cedit, idemque obtinet in loco sacro et religioso. Nam §. 39. *I. h.* de locis religiosis priuatis agere uidetur, imo hodie thesaurum absque discrimine resp. sibi, si uelit, uindicare potest, sed Electores Saxoniae iure suo uti noluerunt, *P. 2. C. 53.*

§. XXXXVIII.

Restat *traditio*, ciuilis potius, quam naturalis, acquirendi dominii modus. Nam iure naturae etiam absque ea dominia transferuntur, requiritur autem, ut res a domino

mino, ex iusta et habili ad transferendum dominium causa, in accipientem transferatur.

§. XXXXVIIII.

Dixi, a domino. Perinde tamen est, siue is ipse rem tradat, siue procurator eius, isque uel speciali mandato instructus, *l. 60. §. 4. ff. Mandat.* uel generali saltim, dummodo liberam administrandi id potestatem complectatur, quod probat §. 42. *l. h. l. 9. §. 4. ff. de acq. rer. dom. l. 58. d. procurat.*

§. L.

Per *titulum* intelligo causam, ad transferendum dominium habilem, hanc uel onerosam, uel lucratiuam, esse, supra monui, illius exemplum est uenditio. Traditio autem ex causa uenditionis eo demum casu dominium transfert, si aut pretium solutum, aut fides, de eo soluendo, habita fuerit, nisi alterum, ad fidem habendam, dolo induxit.

§. LI.

Ceterum regulariter extraiudicialis traditio sufficit, iure autem saxonico rei immobilis dominium non transfertur, nisi accedente iudiciali dominii resignatione, *Dec. Elect. 61.* ut ne usucapione quidem, absque illa, dominium acquiratur. Pu-

 bliciana

bliciana tamen actio illi, cui res extra iudicium, apud Saxones, tradita est, competit, contra eum, qui rem deteriore iure possidet, non contra eum, cui in iudicio postea dominium fuit resignatum.

§. LII.

Porro traditio est uel *propria*, uel *impropria*, uel quasi traditio. Haec in incorporalibus, illa in corporalibus, locum habet, item alia *uera*, alia *ficta* traditio est, ficta, uel symbolica, uel non. Non symbolica eademque ficta, in traditionem longae, et breuis manus, diuiditur, cuius exemplum in constituto possessorio occurrit.

§. LIII.

Denique, respectu accipientis, traditio uel generalis est, uel specialis. *Generalis* dicitur, quando res in quemcunque occupantem transfertur, cuius exemplum exhibent res derelictae, et quas quis abiecit, eo animo, ut cuiuis capienti, cederent, item *missilia*, quae in populum sparguntur, non aeque, quae naufragii, uel incendii, tempore, deiiciuntur, aut culpa, uel casu, amittuntur. Haec enim in dominio adhuc nostro censentur. Tantum de naturalibus acquirendi dominii modis.

TITV-

TITVLVS IV
DE
VSVCAPIONE

§. I. *Ius gentium de usucapione.*
§. II. *Quomodo haec tribuat dominium.*
§. III. *Requiritur bona fides.*
§. IIII. *Titulus iustus.*
§. V. *Temporis lapsus, sed iure ciuili distinguitur inter praesentes et absentes.*
§. VI. *Intelligenda est absentia ordinaria.*
§. VII. *De praescriptione rerum ecclesiastic.*
§. VIII. *De rebus fisci.*
§. VIIII. *De domanialibus et praescriptione immemoriali.*
§. X. *De rebus sacris, religiosis et sanctis, furtiuis, pupillorum, minorum.*
§. XI. *Requiritur possessio.*
§. XII. *Continua.*

§. I.

Sequuntur modi acquirendi ciuiles. Inter particulares primo loco occurrit usucapio, quam recte puto ad modos ciuiles referri, gentium enim ius usucapionem ignorat, immemorialem tantum, ex qua derelinquendi animus colligitur, praescriptionem agnoscit.

§. II.

Acquiritur in usucapione dominium, per continuam possessionem rei alienae, a non domino, bona fide et iusto titulo, nobis traditae. Requisita eius continent, qui uulgo circumferuntur, uersiculi.

§. III.

Primo requiritur *bona fides*, siue certa persuasio, rem esse nostram. In qua

opinione, iure romano, sufficit esse saltim initio acquisitae possessionis. Sed ius canonicum, quod sequimur, bonam fidem perpetuo requirit. *c. fin. X. d. praescript.* superueniens mala fides, post usucapionem, iam consummatam, non nocet. Qui dubitat, in mala fide est, si dubium speciale sit, et alicuius momenti. Neque interest, siue ante contractum quis, siue postea, dubitare incipiat, nec obstat *l. 32. §. 2. D. d. usucap.*

§. IIII.

2) *Titulus*, seu causa, requiritur, quem error regulariter non praestat. Huius modi etiam est titulus pro herede, quamuis multi de hoc dubitent. In praescriptione iurium, scientia et patientia instar tituli est.

§. V.

3) *Temporis lapsus*, usucapiuntur enim res mobiles, iure ciuili, triennio, iure saxonico anno, 6. septimanis et 3. diebus, idemque tempus, in rebus ecclesiasticis, sufficit, salua in integrum restitutione. Res immobiles iure saxonico 31. annis, 6. septimanis et 3. dieb. Iure ciuil. inter praesentes, 10. inter absentes, 20. annis. Dicuntur

cuntur uero *praesentes*, qui sunt in eadem prouincia, non, ut uulgo uolunt, qui sub eadem iurisdictione, ne quidem hodie, saepe enim in eodem loco alii huic, alii illi iudici, subsunt, quos pro absentibus habere ineptum foret.

§. VI.

Neque uero de extraordinaria absentia, sed de ordinaria, agitur, si quis modo absens, modo praesens, fuerit, (per ordinariam absentiam) aut absentiae anni diuidendi sunt, aut praesentiae tempus duplicandum, *Nou. 119. c. 8.*

§. VII.

Res ecclesiae immobiles demum, 40. annorum possessione, acquiruntur, neque a ditur annus saxonicus, quadriennium tamen restitutionis in integrum non nulli adiiciunt. Ceterum etiam *feudum ecclesiae* non alio tempore amittitur, neque ecclesia, contra ecclesiam, alia utitur praescriptione. Ecclesiarum nomine *academiae*, aliaque pia corpora, continentur, *balliuiae* etiam et *commendae*, (protestantes quoque) non aeque *ciuitates*.

§. VIII.

Perinde *res fisci* 40. demum, aut, si mauis, 44. annis praescribuntur, bona, fisco nunciata, quadriennio usucapiuntur, etiam apud Saxones. In bonis uacantibus, iisdemque nondum nunciatis, eadem, quae in rebus priuatorum, usucapio locum habet.

§. VIIII.

Bona domanialia, qualia sine dubio etiam in Imperio nostro dantur, non 40. annis, sed immemoriali demum tempore, praescribuntur, neque regalia, etiam minora, alio tempore acquiruntur, imo maiora, contra Principem, a subditis praescribi posse, plerique negant. Dicitur uero praescriptio *immemorialis*, cuius in contrarium memoria non extat, ita, ut de possessionis initio non constet. Quae uulgo in primis circa probationem eius traduntur, ex instituto merentur expendi.

§. X.

Res sacras, religiosas et sanctas, usucapi non posse, ex §. *i. I. h.* constat. Quod hodieque obtinet, quatenus res illae extra commercium sunt constitutae. Res furtiuae et ui possessae nequeunt, nisi uitium

tium fuerit purgatum. In rebus pupilli et minoris non quidem usucapioni, sed praescriptioni tamen, locus est, tempus autem impuberis aetatis detrahitur, imo sunt, qui et minorennitatis annos deducunt, hocque saltem iure saxonico contendunt. Alii, restitutioni in integrum locum esse, uolunt, sed obstat *l. fin. C. quib. ex caus. in int. rest.*

§. XI.

Vsucapio possessionem supponit, possessio traditionem, quae talis esse debet, qualis ad transferendum dominium requiritur. In rebus ergo immobilibus, apud *Saxones*, non nisi iudicialis traditio sufficit, ad dominium, per usucapionem, transferendum.

§. XII.

Haec possessio debet esse *continua*, non interrupta. Coniunguntur tamen et antecessoris et successoris, siue uniuersalis, siue particularis, tempora, modo uterque in bona fide fuerit. (Dissentit. HOPP. qui successoris uniuersalis bonam fidem non requirit, frustra, cum iure canon. perpetua requiratur bona fides.) Particulari tamen (e. g. emtori)

tori) non nocet mala fides anteceſſoris (e. g. uenditoris,) ſi illius acceſſione uti nolit. De uſurpatione, ſiue interruptione praeſcriptionis, ad pandectas commodius diſpiciendum.

TITVLVS V

DE

DONATIONIBVS

§. I. *Donatio an ſit modus acquirendi.*
§. II. *Donatio quid ſit et quotuplex.*
§. III. *Mort. cauſa.*
§. IIII. *M. c. et inter uiuos donatio quomodo differat.*
§. V. *Donatio m. c. differt a legato.*
§. VI. *Donatio inter uiuos uel conuentionalis eſt, uel realis.*
§. VII. *Vel ſimplex, uel relata, iudicialis, uel extraiudicialis.*
§. VIII. *Quando inſinuatione non ſit opus.*
§. VIIII. *Reuocari poteſt 1) ob ſuperuenientiam liberorum.*
§. X. *2) Ob ingratitudinem.*
§. XI. *An ob pactum adiectum non ſeruatum?*
§. XII. *3) Si eſt inofficioſa.*
§. XIII. *Relata, remuneratoria.*
§. XIIII. *De dote, donat. propt. n.*
§. XV. et XVI. *An per donationem propter n. dominium tranſferatur in uxorem?*
§. XVII. *De dotalitio.*
§. XVIII. *De reliquis acquirendi modis particularibus remiſſiue. Sed pauca de arrogatione.*

§. I.

Sequitur donatio, quam IVSTINIANVS inter modos ciuiles, eoſdemque particulares, ſecundo loco commemorat, ſed eam, quae inter uiuos [a] fit, titulum tantum, non modum, acquiſitionis eſſe, [b] ſupra iudicauimus, ſumma tamen materiae

riae huius capita hoc loco exhibebimus, ne ordinem, quem IVSTINIANVS obseruauit, nimium turbemus.

a) Nam mortis causa donatio quandoque modus est transferendi dominii.

b) Excipiunt tamen donationem, a Principe factam, donationem p. n. et ecclesiae factam.

§. II.

Donationem uulgo definiunt per pactum, quo res gratis in alterum transfertur, diuiditur in *realem* [c] et *conuentionalem*, item *m. c.* et *inter uiuos*, factam donationem.

c) Haec est modus acquirendi, sed continetur sub traditione.

§. III.

Donatio m. c. dicitur, quae fit, intuitu mortis et in eius casum, si executio tantum differatur, usque post fata donatoris, magis inter uiuos, quam m. c. donatio facta esse censetur.

§. IIII.

Multum uero interest, utrum donatio m. c. fiat, an inter uiuos. Illa enim reuocabilis est, imo, liberatione a periculo mortis subsecuta, ipso iure extinguitur, [d] haec regulariter reuocari nequit, [e] illa solen-

 nitates,

nitates, 5. testium requirit, [f] haec non aeque, 3) donatio m. c. etiam absque acceptatione subsistit, in uim legati, uel fideicommissi, donatio inter uiuos absque acceptatione [g] non subsistit.

d) Etiam si donatio realis fuerit.

e) Pactum tamen de non reuocando, donationi m. c. et pactum de reuocando donationi inter uiuos, adiici potest, *l. 13. l. 27. l. 35. §. 4. d. m. c. donat.*

f) Nisi donatio sit priuilegiata.

g) Nisi in pia causa et in debitore.

§. V.

Ceterum donatio m. c. in plerisque articulis iuris conuenit, cum legato et fideicommisso particulari, itaque differentias tantum commemorabimus. 1) Donare m. c. filius fam. potest, [h] legare nequit, 2) donatio m. c. requirit acceptationem donatarii, legatum non aeque. [i]

h) Addunt aliqui usurarium, sed de eo merito dubitamus.

i) Donatio ergo filiifam. absque acceptatione donatarii non ualet, ne quidem in uim legati, quia filiusfam. legare nequit.

§. VI.

Donatio inter uiuos fit absque mentione, aut saltim non intuitu mortis. *Conuentionalis* producit condictionem ex *l. 35. §. 5. C. h.* aut, si mauis, hodie ex pacto, siue

siue ex moribus, ad rem promissam praecise tradendam, §. 2. *I. h.* *Realis* donatio dominium transfert, sed hoc praestat traditio, quam esse modum transferendi dominii naturalem, antea fuit monitum.

§. VII.

Est haec donatio uel *simplex*, quae et absoluta, uera, pura dicitur, uel relata, porro uel *iudicialis*, uel *extraiudicialis*. Nam, quae 500. aureos excedit, nisi actis insinuetur, inualida est, ut, quod ultra promissum est, peti nequeat, et, quod datum est, repeti, ubi, per aureos, ducatos intelligimus, quamuis maioris forte olim pretii fuerint *aurei Iustinianei*, de quo exstat libellus HOTOMANNI et SCHILTER. *ad ff. Tit. d. postul.* compara PAGENSTECHER. *L. 4. §. 8.*

§. VIII.

Hac insinuatione non est opus, 1) in donatione m. c. 2) in donatione principi et a principe, 3) militibus a magistratu militum, 4) ad redimendos captiuos, 5) ad aedium refectionem facta, * 6) in dote, de donatione propter n. uid. *Auth. Eo decursum etc. C. d. don. ant. nupt.* et *Nou. 127. c. 2.* 7) in donatione remuneratoria, 8) si quis non

non una uice, sed per interualla, ampliorem quantitatem alteri donet, (donationes successiuas uocant) 9) si simul quidem, sed in plures, maior summa erogetur, (donationem simultaneam appellant) 10) in remissione debiti.

k) Quod ad alias pias causas extendi non potest *l. 22. C. d. Eccles.*

l) Hanc insinuari debere, affirmat PAGENSTECHER. negat BERGER. in *Oeconom.*

§. VIIII.

Post acceptationem, reuocari donatio nequit, nisi 1) *ob superuenientiam liberorum, l. 30. d. fideicom.* [m] (legitimorum, non naturalium, imo ne quidem legitimatorum, dissent. BERGER. *in Oecon.*) quod ex *lege 8. C. h.* colligunt, quae tamen, de patrono tantum et liberto, agit. Si ei, qui, tempore donationis, liberos iam habet, plures deinceps nascantur, reuocatio locum non habet, quae nec ad modicas donationes pertinet, sed ad eas, per quas aliqua bonorum pars transfertur. [n]

m) Quid si liberi illi iterum moriantur, reuocatio post mortem eorum non uidetur habere locum, uid. tamen BERGER. h. Cuius sententia admitti potest, si reuocatio fiat, liberis adhuc uiuentibus, quamuis illi postmodum moriantur.

n) Non nulli putant, dimidiam, alii, quartam, alii autem, uel decimam, imo etiam minorem sufficere.

§. X.

§. X.

2) Ob *donatarii ingratitudinem*, si aut famam donatoris, aut corpus laedat, aut uitae struat insidias, aut bonis eius insignem inferat iacturam, *l. fin. C. d. reuoc. don.* [o] Causae diuersae, licet grauiores, non sufficiunt, nec ad causas similes lex extendi potest. [p] *Actio reuocatoria* nec heredibus datur, nec aduersus heredes, [q] nisi per insidias donatarii donator perierit, hoc enim casu donum heres recte repetere uidetur.

o) Vulgo atrocem quamuis iniuriam pro prima causa habent, sed sic prima causa sequentes sub se comprehendet. Sed et uerba legis: *atrocem iniuriam effundere*; ad uerbales iniurias, easque grauiores, tantum pertinent.

p) Bene tamen ad casus, ubi eadem ratio adest.

q) Quid si pactum adiectum sit, de reuocanda donatione, in casum ingratitudinis? Ne sic quidem putem, actionem ad heredes transferri, multo minus contra heredes.

§. XI.

Quintam causam addunt, si pactis adiectis donatarius non steterit, sed haec non est propriae ingratitudinis species, nec ad donationes simplices pertinet, quare, nec reuocatoriae actioni locum esse, putem, sed condictioni, causa data, causa non secuta,

secuta, quae heredibus datur et aduersus heredes.

§. XII.

3) Reuocationi obnoxia est donatio, quatenus est *inofficiosa*, i. e. quatenus per eam liberi, aut parentes, in legitima laeduntur. Hoc casu non simpliciter rescinditur donatio, sed tantum pro ea parte, quae legitimam onerat, nisi, quod, dolo interueniente, integram eam reuocari posse, uulgo contendunt. Ita HOPP. h. Quae uero dici poterit inofficiosa donatio, cum uiuentis nulla sit legitima, an ad eas tantum, quae in casum mortis fiunt donationes, dispositio illa pertinet, an tempus mortis, an donationis respicere fas erit? Vulgo ad tempus mortis respiciunt, et quantitatem donationis quantitati patrimonii, quod, post obitum donantis, supereſt, addunt, ut, an, quoad legitimam, laesio aliqua adsit, inde constet.

§. XIII.

Haec de simplici donatione. Sequitur *relata*, huc referunt *remuneratoriam*, quae fit, ob singularia merita, non tamen tantum ob ea, quae ius agendi, et remunerationem exigendi perfectamque pariunt obligationem, sed ob ea quoque, quae actio-

actionem non praestant. Itaque quodammodo huc etiam pertinent antidora, ad quae quis ne quidem naturaliter est obstrictus.

§. XIIII.

Porro huc pertinet *dos* et *donatio propter nuptias*. Dos ab uxore confertur in maritum, ad onera matrimonii ferenda, estque uel *aduentitia*, uel *profectitia*, dominium eius transit ad maritum, si sit res fungibilis, immobilium dominium naturale uxor retinet, ciuile est penes maritum, restrictum tamen ac limitatum, ceu infra plenius trademus.

§. XV.

Donatio p. n. confertur a marito (sponso) in uxorem, (sponsam) in dotis securitatem, uulgo addunt, in remunerationem, cum tamen negent, aut fructus rei donatae, constante matrimonio, ad uxorem pertinere, aut, soluto illo, aliquid emolumenti inde ad eam transferri. Aequalis doti esse debebat. Moribus hypothecae ius tribuitur uxori, et quidem, ut uulgo tradunt, specialis, quod admitto, si fundus, aut certum nomen, donationis p. n. causa, adsignetur. Nam, si quantitas tan-

tantum exprimatur, non nisi generalis hypotheca erit, atque adeo eo casu plane inutilis illa donatio.

§. XVI.

Sed, secuti dudum alii, a communi sententia recedentes, per donationem propter nuptias, dominium ad uxorem transferri, censuerunt, ita certum est, et olim pacta, de ea lucranda, adiecta fuisse, et hodie uix unquam donationem p. n. constitui, nisi addita conuentione, ui cuius, soluto matrimonio, illa uxori cedat.

§. XVII.

Huius quodammodo species *dotalitium*, quod est ius percipiendi annuum reditum, ad dies uitae, in compensationem dotis. Quantitas eius est duplicatarum usurarum, quadruplicatae enim non debentur, nisi donatio p. n. constituta sit, de quo argumento ex instituto egerunt SPRENGER. et ROTSCHVTZ. ac nouissime STRYK. et D. MENCKEN.

§. XVIII.

Haec de donatione dixisse sufficiet, iam agendum erat, de reliquis modis acquirendi

rendi particularibus, in primis de legato et fideicommisso particulari. Sed de his infra dicemus, ubi ultimarum uoluntatum iura trademus. Modi uniuersales omnes ad ius hereditarium pertinent, quod ultimam huius libri partem occupabit. Sola *arrogatio* hic omitti non debet, sed duobus uerbis absolui potest, nimirum per eam idem ius consequitur arrogator, quod patri competit, in bonis liberorum.

TITVLVS VI

DE IVRE QVOD DOMINO IN RE SVA VI DOMINII COMPETIT

§. I. *Ius dominii.*
§. II. *Abusus quoad permissus?*
§. III. *Facultas alienandi.*
§. IIII. *Furiosi, infantes non possunt.*
§. V. *Nec minores et pupilli.*
§. VI. *Nec uxor dotalia et paraphernalia.*
§. VII. *De recepticiis.*
§. VIII. *Maritus fundum dotalem alienare nequit.*
§. VIIII. *De filiof. et peculio.*
§. X. *Quotuplex peculium.*
§. XI. *De castrensi.*
§. XII. *De quasi castrensi.*
§. XIII. *De profectitio.*
§. XIIII. *De aduentitio.*
§. XV. *De pecunia lustrica.*
§. XVI. *De aduentitio irregulari.*
§. XVII. *Ius prohibendi ex dominio fluit.*
§. XVIII. *De reiuindicatione.*
§. XVIIII. *Dominii probatio.*
§. XX. *Obiecti descriptio.*
§. XXI. *Species reiuindicationis.*
§. XXII. *Quodsi actor non probet.*

§. I.

Ius, quod domino in re sua competit, in facultate, libere de ea disponendi, alios ab eius usu arcendi, et rem a quocunque possessore uindicandi, consistit.

§. II.

Scilicet quilibet rei suae liberrimus est moderator et arbiter, ita ut abuti etiam ea possit, modo abusus ille prohibitus non sit, aut cum reipublicae, uel aliorum, praeiudicio coniunctus.

§. III.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0126
DFG

§. III.

Itaque etiam *alienandi* ius domino competit, nisi lex, uel conuentio, alienationi obstet, aut ipse dominus alienandi facultate destituatur.

§. IIII.

Furiosi enim et *infantes*, licet rerum suarum sint domini, alienare tamen nequeunt.

§. V.

Nequeunt etiam pupilli et minores, sed res eorum, quae asseruari nequeunt, nomine illorum, alienant tutores et curatores, *immobilia* non aeque, nisi causa adsit necessaria, cognitioque iudicis et eiusdem decretum accedat, (antecedat, concomitanter accedat) quae requisita adfuisse, emtor, qui rem possidet, probare tenetur, ita iudicauit F. I. V. ann. 1712. m. Iul.

§. VI.

Porro uxor nec dotalia, [a] nec paraphernalia bona, absque consensu mariti, alienare potest, adeo, ut alienatio nulla sit, non modo quatenus in praeiudicium mariti ea tendit, sed et, si cum illius damno non sit coniuncta. Verum, quae,

de paraphernalibus, dixi, potiſſimum ad ius ſaxonicum debent referri.

a) Secundum utrumque Ius ciuile et Saxon.

§. VII.

In receptitiis liberius eſt ius uxoris, praeſumuntur autem iure ciu. omnia bona eſſe receptitia, [b] noſtro iure, paraphernalia, imo, conſtante matrimonio, nequidem reſeruare ſibi uxor receptitia poteſt, ſed, quaecunque acquirit, ad paraphernum referuntur, niſi is, a quo ea relinquuntur, adminiſtrationem et uſumfructum marito nominatim adimat, legitimae tamen uſuſfructus ei adimi nequit.

b) Scil. iure ciu. maritus nec uſumfructum habet, nec adminiſtrationem, in bonis non dotalibus, niſi hanc illi uxor mandauerit, aut expreſſe, aut tacite.

§. VIII.

Contra maritus quoque fundum dotalem, cuius ciuile habet dominium, [c] alienare nequit, ne conſentiente quidem uxore. [d] Apud nos, ſi uxor, adhibito alio curatore, cum conſenſu mariti, fundum dotalem uendat, alienatio ualida eſſe cenſetur, imo, in fundo non dotali, mariti conſenſus ſufficit, ita tamen, ut in mariti commodum illa alienatio non cedat, unde

ſatius

satius est, hic quoque alium curatorem adhibere.

c) Quod tamen non nisi improprium dominium est.
d) Nisi taxationis gratia fundus sit traditus.

§. VIIII.

Filiifamilias etiam non eadem in quibuscunque bonis potestate gaudent, sed diuersa, pro peculii ratione. *Peculium* autem dicitur quasi patrimonium, cum patrimonium tantum patressfam. habeant, quibus idem ius in uniuersis bonis, sine discrimine, competit.

§. X.

Est uero peculium uel *militare*, uel *non militare*, illud uel *castrense*, uel *quasi castrense*, hoc uel *profectitium* uel *aduentitium*, hoc uel *regulare*, seu ordinarium, siue minus plenum, uel *irregulare*, siue extraordinarium, seu plenum.

§. XI.

Ad castrense peculium pertinent, quae filius, intuitu militiae, acquirit. In hoc liberrimum ei ius competit, ut perinde, ac paterfam. inter uiuos et mortis causa, de eo disponere possit, patri contra in illud nullum ius competit, neque id, post

mortem filii, amplius occupat, sed una cum matre, nisi filius aliud disposuerit, in eo succedit.

§. XII.

Quasi castrense peculium complectitur ea, quae, intuitu publici officii, aut liberalium artium, a filiofam. acquiruntur. De eo perinde, ac de castrensi, disponit, atque, absque priuilegio tamen, testamentum etiam facit. Huc donata a Principe, saltim quoad effectum, referri possunt.

§. XIII.

Profectitium continet res, quae a patre, aut patris intuitu, ad filium peruenerunt. In his administratio filio tantum plerumque competit, creditoribus tamem ex eo satisfacere pater tenetur. Pater id iterum adimere ei, et, si uelit, imminuere potest, retinet tamen filius emancipatus, quae a patre accepit, nisi pater ei, ante emancipationem, adimat, sique patris bona confiscentur, filio peculium saluum est.

§. XIIII.

Aduentitium dicitur, quod ad filium, non ex re patris, sed aliunde, prouenit.

Huius

Huius proprietas filii, patris usufructus est, quem is retinet, licet ad secunda uota progrediatur, quin etiam post mortem filii, et dimidium, post eius emancipationem, quod tamen in emancipatione iuris Germanici non aeque obtinet. Porro rationes non reddit, nec inuentarium pater conficit, liberius etiam, quam tutor, administrat et alienat, designationem tamen conscribendam curare debet, imo, si bona dissipet, aut cautio ab ipso exigi, aut administratio etiam ei adimi potest.

§. XV.

Huc pertinent bona, quaecunque extra militiam, et non intuitu patris, in filium conferuntur, huc etiam *pecuniam lustricam* (munuscula patrinorum) referunt, quam alii ad profectitium, alii ad irregulare, alii etiam ad quasi castrense, pertinere putant. Sed et, quae operis suis acquirunt liberi, nisi eas patri praestent, sic enim, quicquid acquirunt, ad profectitium peculium est referendum.

§. XVI.

In *irregulari* filio proprietas et usufructus competit, et libera inter uiuos disponendi facultas, ut puta, si, inuito patre,

tre, filius aliquid acquirat, aut ei sub hac conditione aliquid donetur, uel legetur, ne usufructus ad patrem perueniat, quae conditio legitimae a matre adiici nequit, reliquis bonis potest, item, si filius una cum patre fratri ab intestato succedat.

§. XVII.

Haec de facultate alienandi, quae, ui dominii, domino competit. Dixi autem, effectus dominii etiam consistere in iure prohibendi, et rem uindicandi. Scilicet dominium id nobis praestat, ut alios ab usu rei nostrae arcere possimus, adeoque, ius prohibendi comprehendere, existimem, usque dum quis alius compossessionem probet.

§. XVIII.

Actio, qua rem nostram nobis asserimus, *reiuindicatio* dicitur. Hanc qui instituit, probare tenetur dominium suum, aut aduersarii possessionem. Vulgo dicunt, utrumque probandum ei esse, sed, si reus neget, se possidere, possessionem eius probare sufficit, *l fin. ff. d. R. V.* sin fateatur, non, nisi dominii probatio, actori incumbit.

§. XVIIII.

§. XVIIII.

Dominii probatio difficilis est, [e] unde *publicianam* actionem plerique cumulant, ut quasi dominium probare sufficiat, quas actiones hodie tacite cumulatas uideri, nonnulli dicunt, quae aequissima sane est sententia, sed tutius agit, qui expresse utriusque, aut publicianae saltim, mentionem facit.

e) Potest tamen super dominio iuramentum deferri.

§. XX.

Rem, quam uindicamus, accurate et perspicue designari, iubet *l. 6. ff. de R. V.* nam, si de obiecto non constet ex libello, tanquam ineptus is merito reiicitur.

§. XXI.

Ceterum reiuindicatio, si replica libellō inseratur, aut aliae circumstantiae concurrant, uaria nomina sortitur. Nam et rescissoria et Pauliana et Publiciana actio species tantum sunt reiuindicationis, de quibus singulis agere non est instituti.

§. XXII.

Si actor dominium non probet, reus absoluitur, neque opus est, ut ipse suum

dominium probet, sed, si probationem susscipiat, superfluo et inani labore se onerat. Neque enim, contra tertium quemcunque, dominus declarari potest, quamuis sint, qui, *contrauindicationem* id praestare, putent.

TITVLVS VII

DE POSSESSIONE

§. I. *Possessio quid?*
§. II. *Requirit animum sibi habendi.*
§. III. *Proprie possidentur res corporales.*
§. IIII. *Possessio alia ciuilis, alia naturalis.*
§. V. *Recens, aut antiqua.*
§. VI. *De possessorio summario.*
§. VII. *De ordinario.*
§. VIII. *Varia remedia possessoria.*
§. VIIII. *Interdicta utrubi et uti possidetis.*
§. X. *Publiciana oritur ex possessione.*

§. I.

Altera species iuris in re est *possessio*, qua quis rem, animo sibi habendi, tenet. Haec si cum bona fide coniuncta sit, idem fere possessori praestat, quod domino proprietas.

§. II.

Dixi, animo sibi habendi, siue animo habendi dominium, siue aliud ius in re, possideat. Si hic animus plane deficiat, detentio magis est, quam possessio, quamuis

uis haec quoque quodammodo ius in re tribuat.

§. III.

Pertinet possessio proprie ad res corporales, rerum incorporalium quasi possessio est, quae in exercitio iuris consistit.

§. IIII.

Alia *ciuilis* est, qua solo animo, alia *naturalis*, qua corpore, rem possidemus. Retineri enim possessio animo potest, acquiri solo animo nequit, neque ipso iure transfertur, ne quidem ad possidentis heredes, ad quos tamen ius, possessionis apprehendendae et recuperandae, transit.

§. V.

Est et alia recens, siue momentanea, possessio, alia antiqua, iustior, et, ut loquuntur, magis titulata, unde possessorium uel summarium, uel ordinarium.

§. VI.

In summarissimo, non attenditur, an quis clam, precario, aut ui, possideat, nisi iidem testes, qui de possessione deponunt, de huius modi uitio etiam attestentur. Probari etiam per unicum testem potest, annuum tempus, aut plures actus non

non desiderantur. A sententia, in possessorio summarissimo lata, nec appellatio, nec leuteratio, interponi potest.

§. VII.

In ordinario possessorio, de possessione antiquiore et iustiore agitur, idque apud nos processu ordinario solet uentilari.

§. VIII.

Ad possessionem acquirendam, retinendam ac recuperandam uaria leges ciuiles remedia suppeditant, atque sine necessitate cumulant, sed pleraque, occasione possessionis quidem competunt, non tamen ex possessione oriuntur, personales actiones sunt, non reales.

§. VIIII.

Ad reales tamen uulgo referunt interdictum *Vtrubi* et *Vti possidetis*, quorum illud ad res mobiles, hoc ad res immobiles et incorporales, pertinet.

§. X.

Forte et ex eadem possessione actio Publiciana oritur, quam alii ex dominio deducunt.

TITVLVS VIII

DE

HYPOTHECA

§. I. *Hypotheca quid?*
§. II. *Est expressa, uel tacita, iudicialis, aut extraiudicialis.*
§. III. *Extraiudicialis rei immobilis iure Sax. inualida.*
§. IIII. *Hypotheca uel generalis est, uel specialis.*
§. V. *Conuentionalis.*
§. VI. *De pignore.*
§. VII. *Actio hypothecaria.*

§. I.

Sequitur hypotheca, quae ius in re constituit, quod creditori competit, in bonis debitoris, ui cuius, rem, hypothecae obnoxiam, a quouis possessore, tantisper sibi tradi, iure postulat, donec, soluto debito, hypotheca dissoluatur.

§. II.

Huius modi hypotheca alia *expressa* est, alia *tacita*, alia iudicialis, alia extraiudicialis, sed satius omnino fuerit, tacitas et extraiudiciales e republ. proscribere, aut saltim nullam iis, contra tertium possessorem, efficaciam tribui, nisi iudicialiter fuerint confirmatae.

§. III.

Recte igitur, apud Saxones, hypotheca extraiudicialis rei immobilis inualida habetur, si, de tertii praeiudicio, agatur, ita, ut

ut nec, in concursu creditorum, priuilegium tribuat, nec, contra tertium possessorem, actionem praestet. Quoad mobilia tamen et hypothecas tacitas, ius commune sequimur, licet illud cum multis incommodis sit coniunctum.

§. IIII.

Porro hypotheca uel *generalis* est, uel *specialis*. Haec efficit, ut exceptio excussionis, a tertio possessore, opponi nequeat, secundum CARPZOVIVM, diss. LAVTERB. cuius sententiam collegia Vitembergensia sequuntur.

§. V.

Hypotheca sola conuentione constitui potest, cum alias pacta ius reale non tribuant, nisi, accedente traditione, unde, fictam traditionem subesse, non nulli existimant, qua tamen forte non habemus opus.

§. VI.

Si res, hypothecae subiecta, creditori simul tradatur, *pignus* appellari solet, in primis, si res sit mobilis. Promiscue tamen aliquando illa uocabula accipiuntur.

§. VII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0138
DFG

§. VII.

Actio, quae ex hoc iure oritur, *hypothecaria* dicitur, quae an alternatiuam petitionem admittat, in utramque partem disputari solet, sed, affirmatiuam praeferendam esse sententiam, et dissentientium opinionem tantum inani subtilitate niti, omnino sum persuasus.

TITVLVS VIIII

DE SERVITVTE

§. I. *Quid sit seruitus.*
§. II. *Realis, uel personalis.*
§. III. *Realis, uel rustica, uel urbana.*
§. IIII. *Ad rusticas pertinet iter.*
§. V. *Actus.*
§. VI. *Via.*
§. VII. *Aquae ductus et haustus.*
§. VIII. *Ius pascendi.*
§. VIIII. *Ius compascui.*
§. X. *Ad urbanas pertinet seruitus oneris ferendi.*
§. XI. *Altius tollendi et non tollendi non differunt.*
§. XII. *Seruitus luminum.*
§. XIII. *Stillicidii.*
§. XIIII. *Fluminis recipiendi, aut non.*
§. XV. *Vrbanarum plures species.*
§. XVI. *Ad seruitutes personales pertinet usufr.*
§. XVII. *De quasi usufructu.*
§. XVIII. *Ad quem hic periculum?*
§. XVIIII. *Quid praestet usufructuarius.*
§. XX. *Vsus.*
§. XXI. *Ius usuarii.*
§. XXII. *Habitatio.*
§. XXIII. *Non utendo non perit.*
§. XXIIII. *Constituuntur seruitutes 1) ultima uoluntate.*
§. XXV. *2) Pacto.*
§. XXVI. *Qui constituere possit.*
§. XXVII. *3) Ipsa lege.*
§. XXVIII. *4) Officio iudicis.*
§. XXVIIII. *5) Praescriptione.*
§. XXX. *De titulo.*
§. XXXI. *Actio ex seruitute est uel confessoria,*
§. XXXII. *uel negatoria.*
§. XXXIII. *An uitia possessionis probanda.*
§. XXXIIII. *Remedia, hic constituta, ad alia quoque iura applicantur.*
§. XXXV. *Finiuntur seruitutes.*
§. XXXVI. *An per tempus et abusum?*
§. XXXVII. *De confusione et reliquis.*
§. XXXVIII. *Seruitutes personales cessione pereunt.*

§. I.

Seruitus est ius in re aliena, ui cuius, ea nobis, aut praedio nostro, seruit. Consistit uel in patiendo, et dicitur *affirmatiua*, uel in non faciendo, quae *negatiua* uocatur. In faciendo seruitutes non consistunt, quod ad subtilitates Iuris Romani perti

pertinet. [a] Vi pacti tamen adiici seruituti potest onus aliquid faciendi, e. g. reficiendi uiam.

a) Quibus subtilitatibus tamen plerique DD. adhuc inhaerent, atque negant, per pactum, de faciendo, intuitu praedii, initum, ius reale produci, nisi hypotheca desuper fit constituta.

§. II.

Est uel *realis*, uel *personalis*, illa praedio, haec personae, debetur, potest tamen ex pacto etiam realis personalis fieri, quam anomalam uocant.

§. III.

Realis, uel rustica est, uel urbana, rustica, quae rusticum, urbana, quae urbanum, usum praestat, adeoque utraque, non ex loco, sed ex usu, aestimatur, uid. tamen *l. 4. §. 1. ff. in quibus rebus pign. uel hyp.* Consistit autem usus rusticus, in agricultura, pascendo pecore et fructibus colligendis, urbanus in habitatione, commerciorum exercitio, et, quod addunt nonnulli, in uoluptate.

§. IIII.

Inter rusticas IVSTINIANVS primo loco *iter* commemorat. Iter autem est ius hominis, eundi, ambulandi, per ui-

cini fundum. Sed et lectica uehi et equitari quis potest, qui ius itineris habet. Latitudo huius seruitutis, iure saxonico, est 3. pedum, iure ciu. duorum, u. MENAG. *cap. 63.* et HVBER. *Digress. P. 2. l. 2. c. 13.*

§. V.

Actus est ius, iumentum, uel uehiculum, per fundum alienum agendi, qui iter continet, si plenus sit, sin id ei non liceat, minus plenus dicitur, item, si iumentum tantum, non uehiculum, ducere liceat, aut contra. Eius latitudinem, uolunt, esse 4. pedum (nihil tamen nominatim aut ciuiles, aut saxonicae, leges, ea de re, cauent.)

§. VI.

Via et actum et iter complectitur, sed et amplius, ligna lapidesque ferendi et protrahendi, ac hastam erectam habendi, potestatem tribuit, MENAG. *d. l.* CORN. VAN BYNCKERSHOEK, *lib. 4. c. 7.* Latitudo uiae, in porrectum, 8. in anfractum, 16. pedum est, *l. 8. ff. d. S. P. R.*

§. VII.

Aquae ductus est ius, ducendi aquam, per alienum fundum, *aquae haustus* est ius, hauri-

hauriendi aquam, ex fundo alieno. Continet iter, ſicuti ius, appellendi pecus ad aquam, actum complectitur.

§. VIII.

Ius paſcendi non continet ius prohibendi dominum, ſi paſtura utriuſque pecori ſufficiat, alias potior eſt conditio eius, cui ſeruitus conſtituta eſt.

§. VIIII.

Ius compaſcui conſtituitur uel per mutuam ſeruitutem, uel ex familiaritate competit, hoc caſu reuocabile eſt, illo non aeque. Intelligo autem compaſcuum reciprocum, alias enim ſeruitus potius paſcendi, quam compaſcuum, dici meretur.

§. X.

Commemoraui potiſſimas ſeruitutes ruſticas, ſequuntur urbanae, huc pertinet oneris ferendi ſeruitus, ui cuius paries uicini onus aedificii noſtri ſuſtinet. Ab hac parum differt ſeruitus tigni immittendi, ubi uicinus pati tenetur, ut tignum noſtrum in ipſius parietem immittatur, ibique requieſcat. Is, qui onera fert, parietem reficere tenetur, *l. 33. π. d.*

S. P. V. quod ad seruitutem tigni immittendi aeque pertinere puto.

§. XI.

Seruitus altius tollendi et non tollendi, mea sententia, non differunt. Eadem seruitus alio nomine, intuitu dominantis, alio intuitu seruientis praedii, appellatur. Frustra sunt, qui, seruitutem altius tollendi uicinum, ad altius tollendum, obstringere, aut statutum supponere, existimant, de quo IVSTINIANVS nunquam cogitauit.

§. XII.

Prope huc accedit seruitus luminum, quae continet ius habendi feneſtram in pariete alieno, aut communi, unde uicinus, hac seruitute constituta, contra aedificare, et lumina obscurare, prohibetur, ut uix sit, cur ab hac seruitute diuersum, *ne luminibus officiatur*, effingamus, nisi hanc ad feneſtram in proprio pariete referas, aut, gradu differre ab illis, existimes.

§. XIII.

Stillicidii seruitus efficit, ut uicinus stillicidium noſtrum in aedes suas, uel aream, recipere teneatur. Haec recipiendi stillicidii

cidii dicitur, contra non recipiendi, seu auertendi, quando uicinus stillicidium suum ad se recipere prohibetur. Ego, eandem esse seruitutem, puto, sed diuersum nomen accipere, prout aut in recipiendis, aut in auertendis, aut in utriusque utilitatem, constituatur.

§. XIIII.

Eadem est fluminis recipiendi, et non recipiendi, ratio. Flumen autem hic appellamus aquam collectam, quae per tubulos, aut canales, fluminis instar, decurrit. Stillicidium in seruitutem fluminis conuertere non licet, nec contra, stillicidium tamen altius tolli posse, ICtus, *in l. 20. §. 5. ff. d. S. P. V.* affirmat, addita ratione, quod seruientis causa non fiat deterior, quae cum plerumque fallat, lex illa raro usum poterit praestare.

§. XV.

Dantur etiam plures aliae, e. g. proiiciendi, habendi suggrundia, fumi, cloacae, habendi positum, suffodiendi, etc. Sed has singulas persequi non uacat, adeoque ad seruitutes personales progredimur.

§. XVI.

Illae sunt usufructus, usus et habitatio. Vsufructus in uerum et quasi usumfructum diuiditur, uerus est ius utendi fruendi re, quae usu non consumitur, sed, finito usufructu, in specie restituenda est. Cauet ergo usufructuarius, de utendo fruendo, ut bonum patrem fam. decet, et, de re, finito usufructu, restituenda. A qua cautione pater, maritus, donator, filius, et is, ad quem proprietas peruenit, immunes sunt.

§. XVII.

Quasi usufructus est rerum fungibilium, seu, quae usu consumuntur. Vsufructuarius iis pro lubitu utitur, et tantum, de re simili, uel rei aestimatione, restituenda, cauet. Ad res fungibiles uestimenta, etiam quotidiana, non pertinent, nisi, quod plerumque fit, pactum, de aestimatione eorum restituenda, accedat, uid. §. 2. *I. h.* Hoc enim, ex uero usufructu, quasi usumfructum efficit.

§. XVIII.

Ad quem periculum rei in quasi usufructu pertineat, non expeditum est. Ve-

rius

rius puto, ad proprietarium id pertinere, ex quo quasi usufructus et mutui diuersitas apparet.

§. XVIIII.

Quod ad uerum usumfructum attinet, usufructuarius non quidem casum, culpam tamen leuem, praestat, omnia tributa soluit, non tamen plane extraordinaria, et, quae, intuitu proprietatis, non fructuum, soluuntur, modicam quoque refectionem suis sumtibus suscipere tenetur.

§. XX.

Vsus est ius, re aliena, ad necessitatem, utendi. Quasi usum leges non agnoscunt, neque enim a quasi usufructu differt. Vsus pro parte constitui nequit, [a] cum non omnium eadem sit necessitas, usufructus potest, unde et usufructus accrescit, usus non aeque.

a) Possunt tamen plures in eadem re usum habere.

§. XXI.

Vsuarius potest coniugem, liberos, familiam, in aedes, quarum usum habet, recipere, imo etiam hospitem, (pro pensione quoque) seorsim alii usum aedium concedere nequit, neque usum in alium

transferre. Qui pecoris usum habet, lana et lacte etiam, sed modice, utitur, nec ultra necessitatem, *l. 12. §. 2. ff. h.* ligna non uendit, sed, pro familiae usu, caedit, cuius exemplum fere in ministris ecclesiarum apud nos occurrit, conf. D. MENCKEN. *ad Inst. h.*

§. XXII.

Habitatio est ius, alienas aedes inhabitandi. Potest autem is, cui haec seruitus constituta est, habitationem locare, licet ipse non inhabitet, et habitatione, ultra necessitatem, uti, contra alium usum, praeter habitationem, sibi uindicare nequit, unde stabulum, horreum et conditorium mercium, locare non potest, diss. HVBER. *h. t. pos. 6.* Ex quo eius, ab usu et usufructu aedium, diuersitas patet.

§. XXIII.

Non utendo, habitatio non perit, *l. 10. π. h.* quia facti magis est, quam iuris, quod ad subtilitates romanas pertinet, neque capitis deminutione, quod ad ius antiquum, et capitis deminutionem minimam pertinere, per maximam, aut mediam, etiam hanc seruitutem expirare, puto.

§. XXIIII.

§. XXIIII.

Actum est, de indole et natura realium, pariter ac personalium seruitutum, uideamus nunc, quomodo constituantur, uindicentur et amittantur. Constitui igitur possunt, siue reales, siue personales, seruitutes, 1) ultima uoluntate, per quam non modo ius ad rem, sed et ipsum ius in re [b] transfertur, non tamen seruitutis possessio.

b) Si constituatur in re, testatoris sc. propria.

§. XXV.

2) Pacto, uel promissione, sed haec non transfert ius in re, nisi, accedente quasi traditione, quae fit, in affirmatiuis, usu et patientia, in negatiuis prohibitione et acquiescentia. [c] Apud Saxones, iudicialem traditionem requiri, ad constituendam seruitutem, uerius est, cum nullum ius in re immobili, extra iudicium, ibi transferri possit.

c) Vix ergo quasi traditio, in negatiuis seruitutibus, ab ipsa promissione, differt.

§. XXVI.

Potest autem seruitutem is tantum constituere, qui rem suam deteriorem facere potest, qui reuocabile, aut utile, domi-

rium tantum habet, is seruitutem quidem constituere potest, sed non ulterius duraturam, quam durat ius constituentis. [d]

d) An etiam ius reale tribuat aduersus tertium, qui a domino utili causam habet? Resp. affirmando, quod patet ex exemplo emphyteutae. In feudo tamen secus est, quia hoc alienari nequit, sine domini directi consensu.

§. XXVII.

3) Ipsa lege, ita usufructus patri et marito competit. Realium seruitutum exempla occurrunt, in *l. 1. §. 14. et 22. D. de aqua et aqua pluu.* et *in l fin. §. f. C. d. seruitut.*

§. XXVIII.

4) Officio iudicis, e. g. in iudiciis diuisoriis, [e] aut, si alia ratione quis ad fundum suum accedere nequeat, nisi per uicini agrum, *l. 10. l. f. π. d. S. P. V.*

e) Vbi adiudicatio ius in re tribuit.

§. XXVIIII.

5) Praescriptione, iure ciu. 10. uel 20. iure pax. annis 31. idemque tempus, in seruitutibus discontinuis, obtinuit, ubi, iure communi, alii immemoriale tempus requirunt. Incipit autem praescriptio, in seruitutibus affirmatiuis, a tempore exercitae

serui-

seruitutis, in negatiuis, a tempore prohibitionis.

Nam alias, etiamsi quis uel per 1000. annos, non aedificauerit, uicinus tamen seruitutem altius tollendi inde neutiquam acquirit.

§. XXX.

Ipsa autem scientia et patientia domini, instar tituli, est, ut alio titulo non sit opus. Quod si dominus, alterum seruitute uti, iuste ignoret, alium titulum uulgo requirunt.

Iure Saxonico tamen saltim, etiam hoc casu, non opus est titulo.

§. XXXI.

Actio, quae ex seruitute oritur, *confessoria* dicitur, datur ei, qui sibi, uel praedio suo, seruitutem asserit, contra quemuis, qui usum eius impedit, ad hoc, ut, seruitutem actori competere, declaretur, reus a turbatione desistere, cautionem, de non amplius turbando, praestare, ac damna resarcire, iubeatur. Hoc petitorium remedium est, nam, si quis in possessione seruitutis constitutus sit, is, interdicto, *uti possidetis*, experitur.

§. XXXII.

§. XXXII.

Contra, si quis alterum, seruitutem sibi asserentem, prohibere uelit, is actione *negatoria* utitur, quae magis occasione seruitutis competit, quam ex ea oritur. Ex dominio descendit, et ex libertatis, quae inde oritur, praesumtione. Haec tanta est, ut probationis onus deuoluat [b] in eum, qui seruitutem sibi asserit, quod illi incumbit, etiamsi reus sit in possessione seruitutis constitutus, aut actor, reum ui, clam, uel precario, possidere, dixerit, quamuis haec uitia in petitorio [i] allegare ineptum sit, ac superuacaneum.

b) Actor tamen possessionem suam, uel quasi dominium, demonstrare tenetur, quae demonstratio, tanquam praeiudicialis, actori imponitur ante, quam reo probatio seruitutis iniungitur.

i) Secus est in possessorio ordinario, in hoc enim uitia possessionis probare tenetur, qui haec allegauit.

§. XXXIII.

Quid uero, si quis possessorio iudicio experiri uelit, et, in possessione libertatis naturalis se, dicat, constitutum esse. Ei probationem plerique iniungunt, ego, ab altero possessionem seruitutis probandam, existimauerim, atque ita censuit Cur. Prou. Vitemb.

Vitemb. ann. 1711. term. quasim. et Fac. Iur. Vit. ann. 1712. et Scab. Vit. ann. 1712. m. iul.

§. XXXIIII.

Ceterum, quae dixi, remedia et ad personales et ad reales seruitutes aeque pertinent, ad alia etiam iura utiliter applicantur.

§. XXXV.

Seruitutes personales I. morte eius, cui competunt, [k] reales interitu praedii [l] totali, expirant, [m] non, aedificio sublato. (expirant reales) Si enim id iterum restituatur, seruitus denuo se exserit.

k) Non eius, qui seruitutem debet. Exceptio est in usufructu mariti.

l) Siue seruientis, siue dominantis.

m) Similiter et personales. Exceptio est in quasi usufructu.

§. XXXVI.

II. Si quis, per tempus longum, seruitute, aut plane non utatur, aut non eo, quo debuit, modo. Per solum abusum seruitus non amittitur.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

III. Confusione, IIII. resoluto iure constituentis, V. existentia temporis, uel conditionis.

§. XXXVIII.

In primis personales seruitutes pereunt, si quis eas cedere alii, et se illis abdicare, uelit. Nam emolumentum quidem, quod quis ex seruitute personali percipit, in alium transferre potest, id efficere, ut alter seruitutem consequatur, nequit, licet ipse seruitute amplius uti nolit.



TITVLVS X

DE IVRE HEREDITARIO IN PRIMIS DE SVCCESSIONE EX PACTO

§. I. *Hereditas quid sit et quomodo deferatur.*
§. II. *De pactis, quae triplicia sunt.*
§. III. *Acquisitiua.*
§. IIII. *Conseruatiua.*
§. V. *Renunciatiua.*
§. VI. *An dentur dispositiua et diuisoria. An ualeant de hereditate tertii.*

§. I.

Haereditas est ius, succedendi in omnia defuncti bona, defertur uel ex *pacto*, uel ex *testamento*, uel ex *lege*.

§. II.

Pacta, quae circa hereditatem iniri solent, uersantur, uel circa eam *acquirendam*, uel circa ius succedendi *conseruandum*, uel denique circa hereditatis *renunciationem*.

§. III.

Acquisitiua pacta ualent, siue unilateralia, siue bilateralia sint, neque reuocari ab una parte possunt, et testamenti factionem impediunt. Liberis tamen per ea legitima adimi nequit. Huc pertinent pacta *confraternitatis*, *ganerbinatus*, *coniugum*, et quaecunque alia, quibus hereditatem, uel eius par-

partem, nobis paciſcimur. Namque et *fideicommiſſa*, et *legata*, per pacta conſtitui poſſunt.

§. IIII.

Conſeruatiuum pactum, cum eo, qui ſpem ſuccedendi habet, initur, e. g. cum herede ab inteſtato, de teſtamento non condendo, aut cum ſcripto in teſtamento, de eo non mutando. Nam, ſi cum iis fiat, quos lex a ſucceſſione arcet, acquiſitiuum magis eſt, quam conſeruatiuum.

§. V.

Renunciatiuum initur, cum futuro herede, qui, uel in fauorem teſtatoris, uel coheredis, uel tertii, ſucceſſioni renunciat, cuius modi renunciatio etiam abſque iuramento ualet, in Saxonia tamen Electorali feminarum non, niſi iurata. Renunciari autem etiam legitimae poteſt, modo id nominatim fiat.

§. VI.

Addunt alii pacta *diſpoſitiua*, item *diuiſoria*, ſed haec ad eas, quas commemorauimus, ſpecies commode reduci poſſunt. De tertii, incerti, aut certi quidem, ſed conſentientis, hereditate, etiam iure romano, paciſci licebat, ſi modo tertius conſenſum non reuocaret, quem hodie non uidetur poſſe reuocare.

TITV-

TITVLVS XI

DE TESTAMENTIS IN PRIMIS SOLENNIBVS

§. I. *Testamentum quid et unde originem habeat?*
§. II. *et* III. *Quis possit testari.*
§. IIII. *Est vel publicum, vel privatum.*
§. V. *Judicale.*
§. VI. *An extra locum judicii condi possit.*
§. VII. *Privatum quotuplex et quid solenne.*
§. VIII. *De nuncupativo et mystico.*
§. VIIII. *In quonis requiritur heredis institutio.*
§. X. *et* XI, *De testibus hic idoneis.*

§. I.

Testamentum est ultimae uoluntatis nostrae declaratio, de eo, quod, post mortem nostram, fieri, uolumus, secundum leges ciuitatis, in qua conditur, facta. Origine iuris gentium esse, plerique credunt, nos, iuris ciuilis, censemus, aut saltim iuris naturalis hypothetici, non absoluti.

§. II.

Testamentum condere nequit furiosus, et, nisi Princeps dispensset, impubes, mutus et surdus naturalis, aut mutus tantum, nuncupatiuum, porro prodigus, filiusfam., haereticus, usurarius, bannitus, item ob carmen famosum damnatus.

§. III.

Minores contra, et in Saxonia feminae, etiam absque curatore, recte testantur, item damnati ad mortem, et coeci, modo, praeter solennitates ordinarias, unum amplius testem adhibeant.

§. IIII.

Est uero testamentum, uel *publicum*, uel *priuatum*. Publicum hodie, uel Principi oblatum, uel actis insertum, Principi, uel ipsi, uel eius consilio, offerri potest, imo et delegatis a Principe commissariis, sed et per procuratorem, quod tamen plerique negant.

§. V.

Coram actis testamentum, uel in loco iudicii, uel extra eum, conditur, utroque casu, uolunt, id ab ipso testatore offerri debere. In loco iudicii, praesentia iudicis et actuarii requiritur, nisi periculum sit in mora, ubi etiam solius iudicis sufficit praesentia.

§. VI.

In aedibus priuatis, aut extra locum, iurisdictioni iudicis subiectum, condi potest, modo tradatur actuario, in praesentia scabinorum.

§. VII.

§. VII.

Priuatum est, uel *solenne*, uel *minus solenne*, solenne, aut *scriptum*, aut *nuncupatiuum*. Solennitates scripti sunt, ut ipse testator scribat, aut subscribat, ut testes subscribant et signent, quocunque signaculo solito, etiam alieno.

§. VIII.

Nuncupatiui solennia haec sunt, testator heredem uoce sua nuncupet, testesque testatorem uideant, audiant, et intelligant. Vt in instrumentum redigatur, utile est, necesse non est. Relatio ad schedulam, (testamentum uocant *mysticum*, implicitum,) neque pro scripto, neque pro nuncupatiuo, haberi potest.

§. VIIII.

Vtrumque requirit *heredis institutionem* directam, utrumque debet fieri actu continuo, non interrupto, in utroque requiruntur 7. testes, iidemque rogati, quibus annumerari potest, qui testamentum scribit, notarius.

§. X.

Testes esse nequeunt impuberes, muti, surdi, mulieres, prodigi, et, qui intesta-

biles facti sunt, sed et homines proprii, saltim in testamentis illorum, qui plena libertate fruuntur.

§. XI.

Porro, qui in testatoris potestate sunt, uel in eadem, cum testatore, potestate, heres, et qui eum in potestate habet, uel in eius potestate est, item heredis frater, qui in eiusdem patris potestate est. Dissoluta potestate patria, testes esse non impediuntur, ne pater quidem heredis emancipati. Sed et legatarii et fideicommissarii particulares, in scripto aeque, ac nuncupatiuo, testes esse possunt.

TITVLVS XII

DE TESTAMENTO MINVS SOLENNI

§. I. *Testamentum minus solenne 1) parentum inter liberos.*
§. II. *2) Tempore pestis.*
§. III. *3) Ad pias causas.*
§. IIII. *4) Rusticum.*
§. V. *5) Militum.*
§. VI. *Plura non dantur privilegiata.*

§. I.

In quibusdam ultimis uoluntatibus solennitates, quas modo considerauimus, non omnes requiruntur, ut I. in testamento *parentum inter liberos.* Id enim, si scriptum sit, nullos, si nuncupatiuum, duos tantum testes, requirit. Tempus testamenti conditi, nomina et portiones liberorum, exprimi debent, exheredari in eo liberi nequeunt, extranei institui heredes non possunt, legata tamen, extraneis relicta, sustinentur, modo duo testes adhibiti fuerint.

§. II.

II. *Tempore pestis* conditum. Hoc, iure ciuili, septem, sed non praecise, ut simul praesentes sint, desiderat. Iure saxonico, duo, uel tres, sufficiunt, (etiam feminae) modo uel ipse testator peste laborat, uel aedes, quas inhabitat, infectae sint.

§. III.

III. Testamentum *ad pias causas*, quod

coram duobus testibus conditum subsistit, imo, si scriptum sit, nullis omnino testibus opus esse, haud pauci censent. Legata extraneis relinqui possunt, modo pia causa tantum heres instituatur.

§. IIII.

IIII. In testamento rustici 5. testes sufficiunt, scil. si 7. haberi nequeunt, admittuntur etiam in subsidium, qui scribere nequeunt. Rustici autem hic dicuntur, qui ruri habitant.

§. V.

V. Miles, in acie, absque testibus, scribere, coram duobus, nuncupare heredem potest, in castris, duos adhibere debet, (etiam in codicillis) in praesidiis septem. Testamentum militare minus solenne, post missionem, non ultra annum durat, reliqua priuilegiata perpetuo ualent, etiam id, quod pestis tempore conditum est.

§. VI.

Testamentum, coram parocho et duobus testibus conditum, apud nos non sustinetur, nec testamenta, quae belli tempore, aut in mari, uel itinere, conduntur, sine solennitatibus testamentorum ordinariis, subsistunt.

TITV-

TITVLVS XIII

DE HEREDIBVS INSTITVENDIS AC DE HEREDVM QVALITATE ET DIFFERENTIA

§. I. *Heredis institutio qualibus uerbis fiat.*
§. II. *Quis heres possit institui, uel non.*
§. III. *An ignotus et incertus, an sancti et angeli?*
§. IIII. *Quot possint institui, et de partibus hereditariis.*
§. V. *De instituto, iure singulari.*
§. VI. *Quodsi e pluribus deficiat unus?*
§. VII. *Institutio quotuplex, et de conditionali.*
§. VIII. VIIII. *et* X. *Conditio impossibilis.*
§. XI. *Heres extraneus, aut suus, sub qua conditione possint institui.*
§. XII. *Legitima conditionem non patitur.*
§. XIII. *De die adiecto.*
§. XIIII. *De heredibus necessariis, suis et extraneis.*

§. I.

Caput et fundamentum testamenti est heredis institutio, quae uerbis directis fieri debet, uerba tamen communia quoque, saltim Saxonum iure, sufficiunt.

§. II.

Heredem, quemquis uult, instituere potest, modo tempore conditi testamenti, mortis testatoris et aditae hereditatis, sit habilis. Prohibentur autem haeretici, banniti, filii perduellium, liberi incestuosi, de quo hodie dubito, postquam alendi necessitas parentibus iniuncta, iure canonico et moribus hodiernis.

§. III.

Contra instituí potest etiam ignotus, imo etiam incertus, modo postea fiat certus, si sancti, uel angeli, instituantur, pia causa instituta intelligitur.

§. IIII.

Quot quis heredes uult, instituere potest, itaque hereditas in tot partes diuidenda est, quot testator heredes constituit, uel quot partes ille fieri uoluit. Romani ICti, in XII. uncias, assem diuidunt, et, qua ratione, si partes, quas testator fecit, assem aut excedant, aut non attingant, aut exaequent, hereditas diuidi debeat, prolixe, satis et subtiliter exponunt. Sed et olim inanis fuit illa subtilitas, et hodie usu fere destituitur.

§. V.

In re singulari institutus, si solus sit, in uniuersum ius succedit, sin, cum alio herede instituto, concurrat, pro legatario habetur, *l. 13. C. de her. inst.*

§. VI.

Si, ex pluribus institutis, unus deficiat, eius portio ceteris accrescit, siue illi re, siue uerbis, siue mixtim, coniuncti sint. Re con-

coniuncti portio omnibus cedit, ita tamen, ut uerbis, uel mixtim, iuncti unius personae rationem habeant. Verbis, uel mixtim, coniunctis is tantum, qui eodem genere coniunctus est, substitutus censetur.

§. VII.

Institutio est, uel *pura*, uel *conditionalis*. Conditio est, uel possibilis, uel impossibilis, possibilis, uel potestatiua, uel casualis. Mixta enim, quam uocant, duplex potius est, siquidem etiam plures conditiones eidem rei adiici possunt. Impossibilis, uel natura, uel iure, talis est.

§. VIII.

Impossibilis conditio pro non adiecta habetur, si extraneus sub ea institutus sit, si filio suo, heredi instituto, illa adiecta sit, institutionem uitiat, et testamentum nullum reddit. Saltim ex communi DD. opinione. Si tamen, quoad legitimam, filius pure institutus sit, conditionem impossibilem, ceteris bonis additam, institutionem non infirmare, sed, illam pro non adiecta haberi, puto.

§. VIIII.

Haec obtinent, siue natura, siue lege, conditio pro impossibili habeatur. Im-

possibiles ergo sunt, quae, fieri aliquid, quod inhonestum sit, uel indecorum, iubeant. Impossibilis etiam est, qua quis, se filium patris sui esse, probare debet, quamuis THOMASIVS hanc casualem dicere malit. Conditionem religionis mutandae ad impossibiles referre nolim.

§. X.

Si facto impossibilis sit conditio, institutionem corruere, DD. uolunt. Ego, inter facto et natura impossibiles, nullum discrimen leges constituere, puto, adeoque, etiam hanc non adiectam uideri, censeo, e. g. si coecus sub conditione, si legat, institutus sit. *Lex 4. §. 1. D. de stat. hom.* ad quam uulgo prouocant, non de impossibili, sed de possibili, ast difficili, quam ICtus pene impossibilem dicit, conditione, agit.

§. XI.

Heres extraneus sub quacunque possibili conditione institui potest, suus tantum sub potestatiua. Ita uulgo tradunt, et ita, digestorum iure, res aliter se habet, quare ita dicendum est, illi, quibus legitima debetur, in legitima absque omni conditione institui debent, ut ne

potesta-

poteſtatiua quidem eis adiici poſſit. In ceteris bonis, etiam ſub caſuali, inſtitui poſſunt, [a] non tantum ſub poteſtatiua. Quibus legitima non debetur, iis qualiſcunque poſſibilis conditio adiici poteſt.

a) Etiamſi ſint ſui heredes.

§. XII.

Legitimae adſcripta conditio poteſtatiua pro non adiecta habetur. Caſualis etiam inſtitutionem uitiat, ſaltim in ſuis heredibus, [b] niſi id ad ius antiquum referre uelis.

b) Quoad reliquos enim conditio pro non adiecta habenda eſt.

§. XIII.

Dies adiectus inſtitutionem conditionalem efficit, ſi in certum ſit, an ille unquam ſit extiturus, alias pura eſt, licet ignoretur, quando dies ſit aduenturus.

§. XIIII.

Ceterum heredes, a IVSTINIANO, in neceſſarios, ſuos et extraneos, diuiduntur. *Neceſſarii* olim erant ſerui, quales hodie uix habemus. *Sui* dicuntur, qui in poteſtate patria, et in proximo gradu, conſtituti ſunt, reliqui omnes uocantur *extranei*. Cuius diſtinctionis uſus infra, ubi, de acquiſitione et tranſmiſſione hereditatis, agemus, apparebit.

TITV-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0167
DFG

TITVLVS XIIII

DE SVBSTITVTIONIBVS

§. I. *Substitutio quid sit?*
§. II. *Potest etiam substituto substitui.*
§. III. *Explicatio formulae, si heres non erit.*
§. IIII. *In casum, si heres fiat, directe non valet.*
§. V. *De pupillari expressa et tacita.*
§. VI. *Ad filii bona quoque et exheredatos pertinet, nec matri fratrique competit querela inofficiosi.*
§. VII. *De quasi pupillari substitutione.*

§. I.

Substitutio est ulterioris heredis, in locum deficientis primi, institutio. Possunt autem unus pluribus, et plures uni, et singulis singuli, substitui.

§. II.

Sed et substituto ulterius substitui potest, quo casu substitutus substituto, etiam substitutus instituto esse, censetur.

§. III.

Cuilibet testatori integrum est, substituere in casum, si institutus heres non erit, quae uerba utrumque casum, et si institutus heres fieri nolit, et si heres fieri nequeat, complectuntur. Contra ex his conditionibus una alteram non continet.

§. IIII.

§. IIII.

In casum, si instituitus heres fiat, et postea decedat, substitui directis uerbis nequit, siquidem substitutio expirat, adita ab instituto hereditate, per fideicommissum tamen ita substituere licet, de quo infra dicendi erit locus.

§. V.

Pater quoque substituere impuberi filio et in potestate constituto potest, in casum, si intra annos pubertatis decedat, imo, si ei substituat in casum, si heres non erit, casus, si heres erit, et impubes decedat, simul expressus censetur, et contra.

§. VI.

Haec substitutio non tantum ad bona patris, sed et ad bona filii, pertinet, unde etiam exheredato substitutus dari potest, si modo cadat in impuberem iusta exheredationis causa. Contra huius modi substitutionem nec matri, nec fratribus, querela inofficiosi datur, *l. 8. §. 5. D. de inoff. testam.* Iure saxonico El. tamen matri, et reliquis ascendentibus, legitima salua esse debet.

§. VII.

§. VII.

Quod si liberi puberes quidem sint, sed mente capti, uel alia ratione testari impediantur, parentes ipsis quoque subſtituere possunt, quae *quasi pupillaris*, uel, ut uulgo loquuntur, *exemplaris*, subſtitutio appellatur. Hoc ius subſtituendi et patri et matri competit, in bonis tamen ipsius filii, patris, qui filium in potestate habet, dispositio praeualet. Subſtituendi autem sunt instituti liberi, dein cum fratribus ascendentes, uel, iure nostro, ascendentes soli, illis omnibus deficientibus, quem uult, testator subſtituere potest, imo haec eo, quo dixi, ordine subſtituendi necessitas, tantum ad bona ipsius instituti et legitimam, pertinere uidetur.

TITVLVS XV

DE EXHEREDATIONE LIBERORVM ET DE INOFFICIOSO TESTAMENTO

§. I. *Exheredatio propria, aut impropria.*
§. II. *Legitima quid sit.*
§. III. *Quibus debeatur.*
§. IIII. *Eius quantitas.*
§. V. *Liberi quomodo computandi.*
§. VI. *Quo titulo relinquenda.*
§. VII. *De testamento nullo, inofficioso et actione suppletoria.*
§. VIII. *Exheredationis causae.*
§. VIIII. *Filiae, ob neglectam fideiussionem, non possunt exheredari.*
§. X. *De consortio cum praui.*
§. XI. *De patre furioso neglecto et testari prohibito.*
§. XII. *De filio haeretico.*
§. XIII. *An aliae et grauiores causae admittendae.*
§. XIIII. *Nominatim in testamento exprimendae sunt.*
§. XV. *Idonea allegata probari debet ab herede.*
§. XVI. *Si testamentum nullum, aut inofficiosum, seruantur legata et fideicomm.*
§. XVII. *De fratrum querela inoffic. et nullitatis.*
§. XVIII. et XVIIII. *Quando utraque cesset.*
§. XX. *De actione expletaria.*
§. XXI. *Fratri aliquando competit exceptio inofficiosi.*

§. I.

Exheredatio est personae, cui legitima debetur, in testamento, expressis uerbis facta, exclusio. Nam reliqua, praeter legitimam portionem, bona libere adimi et relinqui possunt, ut impropria sit, quae fit usque ad legitimam, exheredatio. Vsque ad dimidiam tamen legitimae exheredatio, iure saxonico Elect. fieri potest, si liberi, sine parentum consensu, sponsalia contrahant.

§. II.

§. II.

Legitima igitur est portio, quibusdam personis debita, quae iis, sine causa legitima, adimi nequit, alias enim in officiosi testamenti querelam illis leges concedunt.

§. III.

Debetur autem legitima liberis, et, si hi deficiant, parentibus, fratribus autem demum, si infamis, turpis, uel macula laborans, heres institutus fuerit, [a] quod ius olim ad fratres germanos, et consanguineos tantum pertinebat, iure Nouell. etiam ad uterinos (et forte etiam ad fratrum liberos.) Reliquis consanguineis legitima non debetur. Coniugum portio statutaria improprie legitima dicitur. Liberis arrogatis non legitima, sed quarta D. ANTONINI, debetur, *l. 8. §. 15. D. de inoff. testam.* (quae quarta in trientem non est mutata.) plene adoptatis legitima, minus plene adoptatis, non aeque.

a) Ita saltim uulgo tradunt, sed uid. FVCHS. *Diss. de querel. fratr.*

§. IIII.

Quantitas legitimae est, aut triens, aut semis. Triens quidem, si non plures, quam

quam quatuor adsint liberi, sin plures, semis. Eadem fratrum et parentum est ratio, horum tamen, in Saxonia, legitima semper fere est triens. Minui legitima statuto, uel lege, potest. Nam et apud Romanos olim quarta tantum fuit, et nostro iure, ex conuerso in feudum allodio, tribus libris tantum quarta, quatuor, aut pluribus, tantum tertia pars, praestatur. *Constit. ined.* 2. §. Jedoch soll ꝛc.

§. V.

Computantur autem liberi superstites, ut ne quidem eorum, qui in acie perierunt, ratio habeatur, in fauorem ceterorum, iuste exheredatos, ad augendam, non ad minuendam, legitimam, computari posse, putem.

§. VI.

Legitimam fratribus titulo quocunque relinqui posse, ascendentibus et descendentibus, titulo honorabili, siue institutionis, relinquendam esse, uulgo tradunt. Sed uerius est, liberis quoque, et parentibus, eam alio titulo dari posse, dummodo ex quacunque alia hereditatis parte, heredes instituantur.

Nota: 1) Ita institui potest filius in re singulari, e. g. in horto, eidemque legitima legari.

2) Imo ipsi Dd. hoc admittere uidentur, dum actionem suppletoriam dant ei, qui institutus quidem est, sed legitimam non habet saluam.

§. VII.

Quod si enim neque exheredentur, neque instituantur, testamentum nullum est, si sine causa exheredentur, inofficiosum est. Si instituantur, sed legitimam integram non habeant, suppletoria ipsis datur actio, de qua uid. SWEDER.

§. VIII.

Causae exheredationis uersibus, quos uulgo circumferunt, continentur. Liberi ex 14. parentes ex 8. fratres ex tribus causis, exheredari queunt, sed ex illis ultima ad filium non pertinet, imo nec ad filiam, 25. annis maiorem, si parentes ei, de nuptiis, non prospexerint, neque ob stuprum excludi a successione potest, nisi meretriciam uitam agat. Ob contractas, absque consensu parentum, nuptias, exheredatio, non iure romano, sed germanorum, Saxonum in primis, legibus, permissa est.

§. VIIII.

Porro, cum feminae intercedere pro aliis nequeant, causa exheredationis, si liberi parentes, fideiussione sua, ex carcere liberare

liberare detrectauerint, ad solos filios pertinet.

§. X.

Ob consortium, cum prauis hominibus, filius excludi a successione non potest. Nam *nouella* non agit de malis, sed de maleficis, i. e. de magis.

§. XI.

Si furiosum quis negligat, testariue (patrem) prohibeat, is etiam ab intestato hereditate excidit, scilicet si pater in illo statu decedat. Contra, si pater deinceps illo periculo liberetur, et, exheredatione dignum, non excludat, iniuria remissa censetur.

§. XII.

Haereticus autem filius nequidem instituti potest, sed, institutus licet, portione tamen sua priuatur. Contra orthodoxus ab heterodoxo, quamcunque ob causam, exheredari nequit, *nou. 115. c. 3. §. 14.* quod uix existimem inter protestantes hodie seruari.

§. XIII.

Praeter has causas, aliae, licet grauiores illae sint, non admittuntur, ad causas tamen, ubi eadem, uel maior, adest ra-

tio, uerba *nouellae* recte extenduntur, iure etiam ſaxonico Electorali, inter quod et ius commune nullam hic, quam nonnulli conſtituunt, differentiam admitto.

§. XIIII.

Debet autem cauſa exheredationis nominatim exprimi, in teſtamento, alias enim teſtamentum nullum eſt, uel, quod alii uolunt, inofficioſum, matris praeteritio olim uim exheredationis habebat, ſed, iure nouo, etiam haec teſtamentum nullum reddit, ſaltim ex recepta, et Saxonum iure approbata, ſententia. Fratres ſimpliciter, i. e. cauſa etiam non expreſſa, excludi poſſe, communiter tradunt.

Satius tamen fuit, eam exprimi.

§. XV.

Si cauſa idonea allegetur, ſed probari nequeat, inofficioſum teſtamentum eſt, probandi autem onus heredi inſtituto incumbit, etiam, ſi frater exheredatus ſit, quod uulgo, abſque ratione, negant.

§. XVI.

Siue autem teſtamentum pro nullo, ſiue pro inofficioſo habeatur, legata et fideicommiſſa ſeruantur, ſola inſtitutio corruit,

ruit, aut rescinditur, cum alias ex testamento, quod nullitatis uitio laborat, nihil debeatur. Per fraternam querelam, testamentum prorsus euerti, Doctores tradunt, sed id quoque, post *nou. 115.* ueluti per consequentiam, mutatum uideri poterat.

§. XVII.

Itaque inter querelam inofficiosi et nullitatis, hoc casu, id potissimum interest, quod illa quinquennii, haec demum 30. annor. praescriptione, tollatur.

§. XVIII.

Cessat querela utraque, I. Si quis testamentum expresse, uel tacite, agnoscat, ueluti renunciatione, de qua supra dictum, non aeque, si legatum relictum, pro aliquo, quis petat, etiamsi id sponte et non officii causa faciat, quia etiam ex inofficioso testamento legata debentur. Quod olim secus erat, itaque *l. ult. D. d. inoff. testam.* ad ius antiquum referri debet.

§. XVIIII.

II. Mortuo eo, qui exheredatus est, is enim querelam non transmittit, nisi in conatu, eam instituendi, occupatum mors praeuenerit. Ad descendentes tamen transit, si filius exheredatus, ante aditam a scripto herede hereditatem, decedat.

§. XX.

III. Si quacunque ex re instituti sint liberi, uel parentes, aut fratribus aliquid tantum relictum ex testamento. Si quidem hoc casu expletoria actio instituenda est, quae 30. annos durat. Haec actio pro in rem scripta habetur, imo forte ipsa, ut et querela inofficiosi, pro specie hereditatis petitionis haberi, et ad actiones reales referri, poterit.

§. XXI.

IIII. Denique cessat, quoad fraternum testamentum, si frater excluſus pari turpitudinis gradu laboret, ubi tamen, si frater hereditatem possideat, exceptionem inofficiosi ei, non puto, esse denegandam.

TITVLVS XVI

DE TESTAMENTO RVPTO IRRITO ET DESTITVTO

§. I. *De testamento nullo, siue iniusto.*
§. II. *De eo, quod ex post facto infirmatur, in specie de rupto.*
§. III. *Rumpitur agnatione.*
§. IIII. *Posteriori testamento.*
§. V. *De cancellato et reuocato.*
§. VI. *De irrito.*
§. VII. *De inualido.*
§. VIII. *De destituto.*

§. I.

Dictum est, de testamento inofficioso, et de eo, quod, ex praeteritione liberorum, nullitatis uitio laborat. Nullum alias, siue iniustum etiam, testamentum dicitur, si testator testari nequeat, si heres in testamento nullus institutus sit, si solennia non sint obseruata, (etiamsi Princeps ita institutus sit, ex communi Doctorum sententia.) Quibus casibus etiam legata et fideicommissa corruunt. Nunc, quibus modis testamentum, ab initio rite conditum, itemque non inofficiosum, infirmetur, paucis dispiciamus.

§. II.

Contingit hoc, si uel rumpatur, uel fiat irritum, uel destituatur. Rumpitur uel agnatione sui heredis, [a] uel posteriore testamento.

a) Vel

a) Vel hodie posthumi agnatione. Olim autem testamentum maternum non rumpebatur agnatione posthumi, sed pro inofficioso habebatur, u. *l. 3. C. de inoffic. test.* ubi casus singularis de matre, quae in puerperio moritur.

§. III.

Agnatione quidem, si testatori, aut post mortem, aut post conditum testamentum, filius nascatur, aut ab eo arrogetur, uel plene adoptetur. Neque enim testamentum, in quo posthumi sunt praeteriti, nullum est, ut VVLTEIVS existimat, nisi forte eo casu, si posthumus illo, quo condebatur testamentum, tempore iam conceptus fuerat, ut pro iam nato haberi possit. Quod si posthumus, ante testatorem, iterum decedat, testamentum, aequitate praetoria, conualescit.

§. IIII.

Posterius testamentum tollit prius, idque obtinet, licet clausula, de non mutanda uoluntate, priori testamento addita fuerit, imo licet etiam adiectum iusiurandum, b) neque, ut tunc clausulae huic nominatim derogetur, necesse est, sed etiam absque eo posterius rumpit prius, imo, si in ultimo scriptus, tantum ex re certa institutus sit, uel heres fieri nolit, prius tamen corruit.

b) Se-

b) Secus tamen est, si per pactum quis promiserit, se testamentum non mutaturum.

§. V.

Ruptum etiam quodammodo dici potest, quod a testatore cancellatum est, scissum uel corruptum, item reuocatum. Reuocatio autem fieri debet, coram 5. testibus, c *l. 21. §. 3. C. de testam.* quamuis alii 7. requirunt. Tres testes non sufficiunt, nisi testamentum, iam ante 10. annos conditum, reuocatur, *l. 27. C. eod.* quod decennium, inepte alii, a tempore reuocationis computandum esse, putant. (Aliter TITIVS, qui, 3. testes semper sufficere, putat.) Alii frustra, praeter 7. testes, deciennium requirunt. Iudicialis reuocatio, absque testibus, sufficit, scripta autem extraiudicialis, sine testibus, non sufficit.

c) Adeo, ut etiam heres proximus ab intestato, coram quinque testibus, instituí possit, *d. lege.*

§. VI.

Irritum dicitur testamentum, si, post id conditum, testator capitis deminutionem patiatur. Si tamen testator, arrogatus, tempore mortis, sui iuris factus sit, conualescit testamentum, iure praetorio, et instituto datur bonorum possessio, se-

cundum tabulas, §. 6. *I. h.* ut uix putem, amplius declaratione esse opus, quam *l. penult. §. 2. D. de bonor. poss. sec. tab.* sancit. Banniti testamentum perinde, illo instituto, sustineri, ostendit D. MENCKEN. *ad I. h.* Saltim hic forte declaratione opus erit.

§. VII.

Inualidum habetur quoque testamentum, in quo Princeps, litis causa, institutus est, modo in testatore dolus adfuerit, atque hereditas res litigosas complectatur. Quod per SCtum, imperante PERTINACE, introductum est. Hoc testamentum destitutum dicit CONNANVS, plerique, nullum esse, contendunt.

Itaque substitutus quoque principi non succedit, quod in testamento destituto secus est.

§. VIII.

Dicitur autem testamentum destitutum, si heres institutus nolit heres fieri. Ceterum ex testamento, siue rupto, siue irrito, siue destituto, legata et fideicommissa non debentur, nisi clausula, quam uocant codicillarem, illi fuerit adiecta.

* * *

TITV.

TITVLVS XVII

DE

CODICILLIS ET CLAVSVLA CODICILLARI

§. I. *In codicillis non nisi legata et fideicommissa relinquuntur.*
§. II. *Codicilli quotuplices sint.*
§. III. *De testibus in codicillis.*
§. IIII. *Valere possunt codicilli uel cum, uel sine testamento.*
§. V. *De clausula codicillari.*
§. VI. *Eius affectus.*

§. I.

In codicillis heres directo, nec instituí, nec substitui, potest, exheredatio etiam, per codicillum, fieri nequit, legata et fideicommissa, etiam uniuersalia, relinqui possunt.

§. II.

Sunt uel solennes, uel minus solennes, sed minus solennes, a testamentis priuilegiatis, si heredis institutionem excipias, uix differunt, ita miles, in castris, sicuti testamentum, ita et codicillos, non, nisi coram duobus testibus, condere potest.

§. III.

In solennibus requiruntur quinque testes. Testimonium autem perhibere etiam feminae et legatarii [a] possunt. Si scripti codicilli sint, testes subscribere eis tenentur.

a) Etiam in nuncupatiuo.

§. IIII.

Conduntur uel sine testamento, et onerant heredem ab intestato, uel cum testamento, et onerant heredem institutum. Neque uero codicilli prius testamentum rumpunt, nec per posterius rumpuntur, [b] modo haud appareat, eos a testatore reuocatos esse, §. 1. I. b. qui derogat legi 5. D. eod.

b) Neque codicilli per codicillos.

§. V.

Porro codicillos uel expressos, uel tacitos esse, non nulli uolunt. Sunt etiam, qui, clausulam codicillarem omnibus testamentis tacite in esse, contendunt, ut BOEHMER. *arg. l. 3. D. de testam. milit.* Sed usus tantum id, in testamento militis, parentum inter liberos, et ad pias causas, admittit. Reliqua igitur, in uim codicilli, non sustinentur, nisi illa clausula expresse adiiciatur. Est autem haec clausula enixa declaratio, qua quis cupit, testamentum suum, si, ut testamentum, ualere nequeat, subsistere, tanquam codicillum, uel omni meliori modo.

§. VI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0184
DFG

§. VI.

Haec clauſula efficit, ut, ſi modo ſolennia codicillorum adhibita fuerint, teſtamentum, in uim codicilli, ſuſtineatur, e. g. ſi non 7. teſtes fuerint adhibiti, ſi liberi nec inſtituti, nec exheredati, fuerint. Add. *tit. praec. poſ. 8.* An inofficioſum etiam ſuſtineat, DD. dubitant. Affirmant ſcabini Lipſ. et ICti Vitemberg. negat F. I. L. an. 1711.

TITVLVS XVIII

DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS TAM VNIVERSALIBVS QVAM PARTICVLARIBVS

§. I. *Legatum quid sit.*
§. II. *Quid fideicommissum.*
§. III. *Differentia legati et fideicomm. partic.*
§. IIII. *Res, quae possint legari.*
§. V. *Testatoris, heredis, imo et aliena.*
§. VI. *An res legatarii?*
§. VII. *An oppignorata.*
§. VIII. *Si una res a duobus legata sit.*
§. VIIII. *De fructibus legatis.*
§. X. *et* XI. *De debito, pignore dilatione, liberatione, legata.*
§. XII. *Si debitor leget creditori.*
§. XIII. *et* XIIII. *De legato dotis.*
§. XV. *De legato facti.*
§. XVI. *De legato generis.*
§. XVII. *De optione legati.*
§. XVIII. *Error et falsa demonstratio non nocet.*
§. XVIIII. *De falsa causa in legato.*
§. XX. *De modo et conditione.*
§. XXI. *Differentia inter causam et modum.*
§. XXII. XXIII. *et* XXIIII. *Quales actiones competant legatario.*
§. XXV. *Tolluntur legata 1) interitu.*
§. XXVI. *2) Alienatione.*
§. XXVII. *3) Ademptione.*
§. XXVIII. *4) Si testator deleat, et 5) inimicitia.*
§. XXVIIII. *6) Translatione.*
§. XXX. *7) Cum testamento 8) morte legatarii ante testatorem.*
§. XXXI. *De lege Falcidia.*
§. XXXII. *Quomodo singuli heredes quartam detrahant.*
§. XXXIII. *Deducto aere alieno, computatur falcidia.*
§. XXXIIII. *Quomodo computanda.*
§. XXXV. *Falcidia quando cesset.*
§. XXXVI. *De fideicommisso.*
§. XXXVII. *Particulari et universali, item de Trebellianica.*
§. XXXVIII. *Quodsi liberi fideicommisso grauati sint.*

§. I.

In testamento perinde, atque in codicillis, legata et fideicommissa relinquuntur. Legatum autem est ultima uoluntas, qua, uerbis directis, res alicui singularis relinquitur.

§. II.

§. II.

Fideicommissum est ultima uoluntas, qua, uerbis precariis, alicui aliquid relinquitur. Si hereditas, aut pars eius, alicui relinquatur, uniuersale, sin res singularis, particulare fideicommissum dicitur.

§. III.

Inter legatum, et fideicommissum particulare, parum intercedit differentiae, nisi, quod hoc uerbis obliquis, illud directis, relinquatur.

§. IIII.

Legari potest res quaeuis, quaeque est in commercio, etiam feudum, quia non simpliciter id extra commercium est, itaque saltim aestimatio eius erit praestanda. Sed et res, quae in legatarii commercio est, ei relinqui potest, licet heredis commercio sit exemta.

§. V.

Non tantum res testatoris legari potest, sed et res heredis, imo et res aliena. Nam, si sciuit testator, eam esse alienam, heres redimere, uel aestimationem eius praestare, compellitur, sin ignorauit, legatum corruit, nisi sit piae causae, uel coniunctis personis, relictum.

Legatarius autem tenetur scientiam probare.

§. VI.

§. VI.

Res autem legatarii ei inutiliter legatur, nisi, pro parte, aliena sit, aut in casum relicta sit, quo legatarii esse desierit.

Hic casus autem debet exprimi. Nam alias, si simpliciter legatarii res legatario leget, legatum inutile est, licet legatarius rem, ante mortem testatoris, alienauerit.

§. VII.

Si res oppignorata alicui legetur, onus reluendi heredi incumbit, si, oppignoratam esse eam, sciuit, secus, si ignorauit. Ignorantia autem praesumitur, nisi ipse testator oppignorauerit (aut hypotheca sit iudicialis.) Actio tamen hypothecaria, contra legatarium, ob hypothecam rei immobilis, extra iudicium, constitutam, iure Saxonum institui nequit.

Sed, an non actio ex testamento institui possit, id magis dubium est.

§. VIII.

Si a duobus res eadem mihi legetur, atque, ex priore testamento, aestimatio praestita sit, ex altero, rem ipsam petere possum, sin ex priore rem acceperim, ex posteriore nihil debetur. a) Sed et, si, ante mortem testatoris, eandem ipsam rem mihi quis donet, legatum inane est. Si interim emam, pretium erit restituendum.

a) Quia res, legatarii, propria, ei amplius legari nequit.

§. VIIII.

§. VIIII.

Fructus etiam naſcituri legari poſſunt, quo caſu, ſi nihil naſcatur, nihil debetur, ſed, ſi quantitas certa fructuum, ex certo fundo, legetur, e. g. 100. modii, uidendum, an fundi mentio reſtrictiue, an demonſtratiue, facta ſit, priori caſu non plus debetur, quam ex illo fundo naſcitur, poſteriore legatum integrum praeſtandum.

§. X.

Si creditor debitori leget debitum, liberationem ille conſequitur, ſi pignus ei leget, acceſſoria haec obligatio tantum tollitur, ſalua obligatione perſonali, ſi dilationem, uſuras interim non praeſtat debitor, ſi liberationem leget ei, qui nihil debet, legatum inutile eſt. Alii, eo caſu quantitatem expreſſam legatariis deberi, contendunt.

§. XI.

Contra, ſi debitor creditori id, quod ei debet, leget, legatum inane eſt, niſi plus ſit in legato, quam in debito, e. g. ob ius repraeſentationis.

§. XII.

Si debitor creditori leget centum, eidemque centum debeat, ſed debiti nullam,

in uoluntate ultima, faciat mentionem, 200. ei praestandi sunt.

§. XIII.

Non inutile est legatum dotis, uxori a marito relictum. Efficit enim, ut dos statim peti possit, quam alias, quod ad mobilia attinet, uxor demum post annum repetere poterat. Addunt alii, in dote legata, beneficium competentiae, quod liberis leges tribuunt, cessare, sed illa sententia dubio non caret.

§. XIIII.

Quod si maritus dotem non acceperit, quantitas expressa nihilominus uxori soluenda est, (in primis, si dos ne promissa quidem fuerit) sin quantitatem non expresserit, uxor, indotata, ex huiusmodi legato nihil quicquam accipit.

§. XV.

Non tantum res legari, sed et facti praestatio, per legatum, iniungi potest, si modo, factum hoc sit in potestate heredis, non turpe, non impossibile.

§. XVI.

Genus etiam relinqui potest, modo non sit nimis uagum, ut, si animal, aut fundum,

fundum, leget. Nam fundi quoque legatum inane est, nisi testator aliquot fundos possideat, ex quibus legatario aliquis possit praestari.

Si modo quis hodie unquam fundum in abstracto legauerit.

§. XVII.

Electio est legatarii, [b] sed optimum is eligere nequit, [c] nisi optio ei sit legata. Piae causae semper optio tacite relicta censetur.

b) Si ipse testator plures species reliquerit.

c) Nisi uerba ad heredem directa sint, tum enim heres, quem uult, praestat.

§. XVIII.

Error in nomine legatarii, uel falsa demonstratio, legatum non uitiat, si modo de uoluntate testatoris constet.

§. XVIIII.

Nec, si causa, ob quam se reliquisse legatum, profitetur, falsa sit, legatum corruit, nisi causa, conditionis instar, sit expressa.

§. XX.

Sub modo, uel sub conditione negatiua, eademque potestatiua, relictum statim peti potest, praestita tamen cautione,

alias legatum conditionale non debetur, nisi, conditione existente.

§. XXI.

Causa respicit plerumque praesens et praeteritum, modus tempus futurum, conditio modo praeteritum, modo futurum.

§. XXII.

Ad legatum consequendum, legatario datur actio ex testamento, aduersus eum, qui legatum praestare iussus est. Quae ex quasi contractu, aditae hereditatis, aut agnitae uoluntatis ultimae, descendit.

§. XXIII.

Competit eidem etiam actio hypothecaria, non in bonis heredis, nec in iis, quae a testatore alii legata sunt, sed in iis, quae, ex hereditate defuncti, ad heredem [d] peruenerunt. Vnde haec actio datur contra heredem, et tertium possessorem, qui ab herede causam habet, uel rem, quae ad heredem peruenit, possidet.

d) Vel personam oneratam.

§. XXIIII.

Plane, si res singularis, eademque testatoris propria, alicui legata sit, ad eum domi-

dominium ipso iure transit, adeoque rem illam etiam ante, quam ab herede tradatur, uindicare potest. Si genus, uel quantitas, uel res aliena, legetur, haec actio non datur. Ei, cui seruitus, uel ius simile, in fundo testatoris, relictum est, perinde confessoria actio ipso iure competit.

§. XXV.

Iam modos, quibus legata extinguuntur, uideamus. Tollitur igitur legatum 1) interitu rei legatae, si species alicui legata sit, haec enim perit suo domino. Imo et, si res heredis singularis relicta sit, is liberatur. Si tamen culpa eius leui, uel, post moram commissam, res legata interierit, praestatio illius heredi incumbit.

§. XXVI.

2) Alienatione rei legatae, si modo ex uoluntate libera, absque necessaria causa, alienatio facta sit, aut, ex necessitate quidem, sed cum animo adimendi. Sic et, si nomen alicui legatum sit, idque postea testator ipse exigat, legatum corruit, nisi, de alia testatoris uoluntate, constet.

§. XXVII.

3) Ademtione, quae tutissime fit coram 5. testibus, non per schedulam, aut scripturam priuatam, nisi haec quoque 5. testium subscriptione munita sit.

§. XXVIII.

4) Si tamen legatum inducat, deleat, testator, etiam nullis testibus adhibitis, legatum ademtum censetur, si modo ipse testator induxerit. 5) Inimicitia etiam, quam reconciliatio non secuta est, facit, ut legatum sublatum censeatur. Quod moribus, non puto, esse mutatum. Diss. GROENWEG. *h. t.* conf. D. MENCKEN. *controu. disp. 13. th. 16.*

§. XXVIIII.

6) Translatione, quae fit, quoties aut persona onerata, aut honorata, aut res legata, aut legandi modus, immutatur. Per hanc nouum legatum constituitur. Vnde dubium non est, 5. testes ad eam requiri.

Si tamen conditio adscripta tantum deleatur, forte testibus non erit opus.

§. XXX.

7) Vna, cum testamento, legata, multis ex causis, corruunt, ut supra fuit monitum.

tum. 8) Si ante teſtatorem legatarius decedat

§. XXXI.

Lex Falcidia non tam tollit, quam minuit legatum. Haec enim permittit heredi, qui ultra dodrantem oneratus eſt, tantum detrahere, ut quartam hereditatis partem ſaluam habeat. Liberi non hanc quartam, ſed legitimam, detrahunt, neque Falcidiae quantitas aucta eſt, iure Nouellarum.

§. XXXII.

Si plures heredes ſint inſtituti, ſinguli ex ſua parte Falcidiam deducunt, e. g. ſi A et B heredes ſcripti ſint, et B ultra dodrantem oneratus, deductione Falcidiae, legata, a ſe relicta, minuit B, licet A nullis legatis fuerit oneratus. Si tamen illi B portio altera, non onerata, quam A capere debebat, forte accreſcat, Falcidiae detractio ceſſat. Secus eſt, ſi onerata portio B non oneratae A accedat, *l. 78. π. ad L. Falcid.*

§. XXXIII.

Deducitur uero ante, quam computatio Falcidiae fiat, aes alienum, et ſumtus funeris, et olim pretium ſeruorum manumiſ-

forum, quod ad mercedem famulorum nonnulli inepte applicant.

§. XXXIIII.

Computatio Falcidiae instituitur, secundum massam hereditariam, quae tempore mortis testatoris fuit, non, quae est tempore praestandi legati, siue interim aucta illa fuerit, siue imminuta.

§. XXXV.

Cessat Falcidia in legatis ad pias causas, si testator, eam detrahi, prohibeat, uel, si heres inuentarium non confecerit, a qua poena apud nos liberatur, si iuratam edat specificationem.

§. XXXVI.

Iam de fideicommisso etiam quaedam addenda sunt. Relinqui id absque testibus quoque potest, si fiduciarius praesens sit, quod ex §. *fin. I. d. fideicommiss.* et *l. fin. C. eod.* constat, quo casu ei iusiurandum deferendum est. Neque enim per duos testes, qui forte adfuerunt, probatio fieri potest. Iusiurandum hoc etiam referri posse, puto, saltim, si fideicommissarius quoque praesens fuerit. Sed et, per probationem, conscientiam defendere licebit. Ad fideicommissa quoque particularia, imo et ad legata, lex haec finalis extenditur.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

De fideicommisso particulari, nihil est, quod addamus. Vniuersale onerat fiduciarium, ut hereditatem, uel eius partem, fideicommissario restituere compellatur, salua tamen fiduciario debet esse quarta, quae Trebellianica dicitur, qua accepta, onera quoque hereditaria, pro quarta parte, subit. Quod si res aliqua ei praelegata fuerit, cetera restituere, iubeatur, rem praelegatam, sine omni onere, retinet.

§. XXXVIII.

Liberi, si fideicommisso in diem, aut sub conditione, onerati sint, praeter legitimam, etiam Trebellianicam, ueniente die, uel existente conditione, deducunt. Si fideicommissum purum sit, sola legitima tenentur esse contenti.

TITVLVS XVIIII

DE SVCCESSIONIBVS AB INTESTATO

§. I. *Successio legitima quando obtineat.*
§. II. *Succedunt descendentes.*
§. III. *Legitimi, utriusque sexus.*
§. IIII. *Sine sint in potestate, sine non.*
§. V. *Sine ex uno, sine ex diuerso matrimonio.*
§. VI. *Nascituri quoque.*
§. VII. *Orthodoxi.*
§. VIII. *Succedunt in capita, aut in stirpes.*
§. VIIII. *De legitimatis.*
§. X. *De arrogatis et adoptiuis.*
§. XI. *De naturalibus et spuriis.*
§. XII. *De illis, qui cum peculiari nota nati sunt.*
§. XIII. *Ascendentes, qui dissimilis generis sunt et gradus.*
§. XIIII. *Et in diuersis lineis, proximior remotiorem excludit.*
§. XV. *Quando in lineas succedant.*
§. XVI. *Ab his iure Sax. excluduntur collaterales, secus iure communi.*
§. XVII. *Quod fratres accipiunt ad pecul. aduent. irreg. pertinet.*
§. XVIII. *Ascendentes cum defuncti fratribus succedunt in capita.*
§. XVIIII. *Parentes succedunt etiam legitimatis, an arrogatis?*
§. XX. *Parentes succedunt illegitimis, quemadmodum hi illis.*
§. XXI. *III. Collaterales, inter quos fratres.*
§. XXII. *Fratrum liberi quomodo?*
§. XXIII. *De unilateralibus.*
§. XXIIII. *Si concurrant cum bilateralibus.*
§. XXV. *Si concurrant fratrum diuersorum liberi.*
§. XXVI. *Si frater consanguinei et uterini.*
§. XXVII. *Fratrum germanorum filii cum patruo.*
§. XXVIII. *De legitimatis.*
§. XXVIIII. *De fratribus adoptiuis.*
§. XXX. *De spuriis.*
§. XXXI. *De consobrinis.*
§. XXXII. *De cognatis remotioribus, affines uero non succedunt.*
§. XXXIII. *De successione coniugum.*
§. XXXIIII. *et* XXXV. *De iure Saxonico.*
§. XXXVI. *De successione collegiorum et piorum corporum.*
§. XXXVII. *Vltimo fiscus succedit.*
§. XXXVIII. *De heergew. et gerada.*
§. XXXVIIII. *De successione ex iure praetorio eiusque usu hodierno.*
§. XXXX. *In immobilibus succeditur iuxta iura loci, ubi sita.*

§. I.

Quoties nec pactis, de successione, cautum, nec uoluntate ultima dispositum est, aut

aut testamentum conditum, uel non subsistit, uel corruit, succeſſio legitima obtinet, quae et ab inteſtato dicitur. Haec bona defuncti defert 1) ad deſcendentes, poſt ad collaterales. His omnibus deficientibus, coniux, et collegia quaedam, in ſubſidium denique fiſcus, ſuccedit.

§. II.

Primum ergo *deſcendentes* lex ad ſucceſſionem uocat, et quidem ſolos, adeo, ut aſcendentes prorſus excludant. Coniuges tamen, cum iis, quodammodo concurrunt. Sunt autem deſcendentes uel legitimi, uel illegitimi, legitimi, uel ex iuſtis nuptiis nati, uel legitimati, uel adoptiui. Illegitimi, uel ſimpliciter tales, uel cum peculiari legis notatione. Illi uel naturales, uel ſpurii, hi uel adulterini, uel inceſtuoſi, uel ex moniali ſuſcepti.

§. III.

Legitimi, ex iuſtis nuptiis nati, ſuccedunt omnes, pari iure, 1) ſiue maſculi, ſiue feminae, feuda tamen et heergewetta et fideicommiſſa quaedam, ad ſolos filios deferuntur, gerada ad ſolas filias, niſi, quod clericus, iam ſacris initiatus, geradam

dam maternam [a] quoque capiat, clerici autem filius, licet heergewettam accipere nequeat, tamen et a gerada uulgo excluditur.

a) Non fororis, non filiae.

§. IIII.

Neque intereſt, utrum in poteſtate ſint liberi, an emancipati. Nam eodem iure ſuccedunt, non tamen eodem modo. Nam illi ipſo iure, hi per aditionem, heredes fiunt, quod, iure Nouellarum, immutatum eſſe, non nulli uolunt, ut PAGENSTECHER. ſaltim ad uirtualem, quam uocant, emancipationem non debebat extendi.

§. V.

Porro ſiue ex eodem, ſiue ex diuerſis matrimoniis, liberi nati ſint, communi parenti aequaliter ſuccedunt. Iure tamen romano liberi prioris coniugii ea bona, quae, ex matris hereditate, ad patrem peruenerunt, praecipue ſibi uindicant, ſed Saxones illa quoque ex aequo diuidunt.

§. VI.

Nati quoque, et naſcituri, eodem iure gaudent, modo hi tempore legitimo naſcantur, uiui et non monſtroſi.

§. VII.

§. VII.

Orthodoxi autem soli succedunt, non haeretici, quod de orthodoxia iuridica intelligendum est, unde, in Imperio nostro, sufficit, uni, ex tribus religionibus dominantibus, liberos esse addictos.

§. VIII.

Si omnes descendentes primi gradus sint, in capita, si alii primi, alii ulterioris gradus, illi in capita, hi in stirpes, in praedefunctorum parentum locum, si omnes remotiores sint, in stirpes succedunt, nisi, quod, nepotes ex unico filio in capita succedere, uulgo tradant.

§. VIIII.

Legitimati per subsequens matrimonium, aut per rescriptum Principis, in feudis non succedunt, neque ius primogeniturae, si interim, ex intermedio matrimonio, filii legitimi nati fuerint, consequuntur, alias in allodio succedunt. Sed per rescriptum legitimati non aliter, quam si, aut, tempore legitimationis, legitimi liberi non adsint, aut, ad patris desiderium, succedendi, cum liberis legitimis, ius ipsis nominatim Princeps tribuat. Si, mortuo demum patre, legitimationis rescriptum

scriptum impetrent, etiam a collateralibus excluduntur, nisi, uoluntate ultima, pater eis successionem, sub conditione, si legitimati fuerint, destinauerit.

§. X.

Arrogati etiam, et adoptiui, ab intestato succedunt, siue plena, siue minus plena adoptione, in locum liberorum, assumti fuerint, nisi adoptiui iterum emancipati fuerint, aut minus plene adoptati, a putre a successione excludantur. Matri filii, a marito adoptati, non succedunt. Si qua femina tamen, permissu Principis, aliquem adoptet, is sine dubio illi heres sit.

§. XI.

Naturales dicuntur, qui ex concubina, spurii, qui ex stupro, nascuntur, utrique succedunt *matri*, nisi sit illustris, *patri* non, nisi in duas uncias, liberi naturales succedunt, una cum matre sua, diuidendas, et eo solo casu, si pater, nec liberos legitimos, nec uxorem legitimam, habeat. Spurii alimenta tantum accipiunt, licet pater, per sententiam iudicis, certus sit, et ex concubitu soluti, cum soluta, alias honeste uiuente, illi nati

nati fuerint. Namque nec hoc casu in sextantem spurii succedunt, cum naturalibus liberis, quoad legitimationem quidem, sed non aeque quoad successionem ab intestato, moribus exaequentur. Imo hodie, cum concubinatus sit prohibitus, ipsi quoque liberi naturales, praeter alimenta, nihil quidquam postulare posse uidentur.

§. XII.

Cum peculiari nota nati, nec patri, nec matri, succedunt, alimenta tamen ipsis, iure Canonico, quod sequimur, praestanda sunt.

§. XIII.

Si descendentes deficiant, successio *ascendentibus* defertur, qui perinde uel legitimi sunt, uel illegitimi, uti, liberos diuersi generis esse, supra fuit monitum, sunt et uel primi, uel ulterioris gradus. In primo gradu pater et mater aequali modo succedunt, nisi, quod pater, qui filium in potestate habuit, in bonis eius aduentitiis, etiam post mortem filii, usumfructum retineat, matre tantum, in dimidiam proprietatis illorum partem, succedente.

§. XIIII.

§. XIIII.

Si parentes diuersi gradus sint, priores excludunt remotiores, non modo, si in eadem, sed et, si in diuersis lineis, constituti sint. Linea enim alia est paterna, alia materna, itaque mater auum auiamque paternam, auus proauos proauiasque, excludunt. Neque enim, in ordine ascendentium, iuri repraesentationis locus est.

§. XV.

Si omnes in remotiori, sed pari gradu sint, non in capita, sed in lineas, hereditas diuiditur, ita, si auia materna, cum auo et auia paterna, concurrat, semis ad auiam maternam, reliquum ad auum et auiam paternam, pertinet. Bonorum discrimen nullum habetur, sed, siue a patre, siue a matre, illa acquisita fuerint, eodem modo distribuuntur.

§. XVI.

Excludunt autem ascendentes, cuiuscunque gradus sint, omnes collaterales, iure Saxonum, sed, communi iure, fratres germani et eorum liberi, cum ascendentibus concurrunt, et fratrum liberi quidem, etiam soli, licet fratres deficiant.

Fratres

Fratres unilaterales, aut bilateralium nepotes, hoc iure non gaudent.

§. XVII.

Quae ex huiusmodi hereditate fratres accipiunt, ea ad peculium aduentitium irregulare pertinent, ut pater in iis usumfructum haud consequatur, sed, quem antea habuit, in defuncti filii aduentitiis bonis, eum etiam hoc casu pater retinet, quia ususfructus, proprietarii morte, non finitur. Diss. BERG. *Oeconom. h. t.* conf. STRYCK. *d. S. A. I. Disp. 2. c. 1. §. 24. seqq.*

§. XVIII.

Quoties autem ascendentes cum fratribus concurrunt, in capita utrique succedunt, sed ascendentes portiones suas in lineas diuidunt. Si cum ascendentibus fratres et fratrum liberi soli concurrant, hi in stirpes, ceteri in capita, succedunt. Vnde et unius fratris filii non, nisi unicam portionem, capiunt.

§. XVIIII.

Liberis quoque legitimatis parentes succedunt, etiam illis, qui, per rescriptum Principis, legitimati sunt. Minus plene adoptatis eos succedere, plerique negant, arrogatorum hereditatem proximis here-

dibus reſtituunt, ſi intra pubertatem illi decedant, poſt pubertatem morientibus ſuccedunt, ſed non ſoli. Nam parentes naturales, una cum iis, ad ſucceſſionem uocantur.

§. XX.

Liberis illegitimis parentes perinde, atque illi parentibus, ſuccedunt, niſi, quod 1) mater illuſtris ſpurio ſuccedat, 2) inceſtuoſis parentibus, etiam iure ciuili, alimenta praeſtanda ſint, per *Nou. 12. c. 2.*

§. XXI.

Progredimur ad ſucceſſionem collateralium. Ex his proximi ſunt fratres et fratrum liberi. Fratres ſunt uel bilaterales, ſiue germani, uel unilaterales, iique uel uterini, i. e. a matre, uel conſanguinei, i. e. a patre, coniuncti.

§. XXII.

Fratrum liberi cum fratribus, iure repraeſentationis, concurrunt, fratrum nepotes non aeque, iure ſaxonico, ne fratrum liberi quidem, niſi in feudis.

§. XXIII.

Fratres germani, et eorum liberi, excludunt unilaterales, iure ſaxonico, unilaterales

terales uno tantum gradu remotiores sunt, et cum germanorum liberis concurrunt.

§. XXIIII.

Post fratrum liberos, e. g. in fratrum nepotibus, bilaterales, prae unilateralibus, nulla gaudent praerogatiua, sed cum iis aequaliter succedunt. Iure saxonico bilaterales semper uno gradu sunt propiores. Itaque, si concurrunt

1) frater germanus et frater unilateralis, succedit germanus, secundum ius utrumque,

2) si fratris germani filius et frater unilateralis, iure ciuili, succedit germani filius, iure saxonico, concurrunt,

3) si fratris germani nepos et frater unilateralis, succedit frater unilateralis, et secundum ius ciuile, et secundum ius saxonicum,

4) si fratris germani filius et fratris unilateralis filius, succedit fratris germani filius, secundum ius utrumque,

5) si germani nepos et unilateralis filius, iure ciuili, unilateralis filius succedit, iure saxonico, concurrunt,

6) si fratris germani nepos et unilateralis

nepos, iure ciuili, concurrunt, iure saxon. nepos bilateralis est potior.

7) Germani pronepos et unilateralis nepos, iure saxonico, concurrunt, iure ciuili, unilateralis nepos solus hereditatem capit.

§. XXV.

Fratrum diuersorum liberi si soli sint, i. e. si cum fratribus non concurrant, in capita succedunt, non in stirpes, iure ciuili, Imperii et saxonico. Idemque obtinet, quoties cum fratribus unilateralibus germanorum liberi concurrunt, eosque a successione excludunt, aut, apud Saxones, cum iis concurrunt.

§. XXVI.

Si fratres unilaterales diuersi generis, consanguinei, inquam, et uterini, simul succedunt, omnia bona ex aequo diuidunt, neque bona materna uterini, paterna consanguinei, quod alii uolunt, praecipiunt.

§. XXVII.

Fratrum germanorum filii excludunt patruum defuncti, iure ciuili et Elect. saxon. commune utrosque simul ad successionem uocat. Vnilateralium fratrum liberi

beri, apud Saxones, a patruo bilaterali excluduntur. Sed, iure ciuili, hi quoque eum excludunt.

§. XXVIII.

Legitimati, per subsequens matrimonium, succedunt, instar aliorum fratrum, per rescriptum legitimati non succedunt, nisi ante, quam alii liberi nati essent, legitimati fuerint, aut princeps efficientiam successionis nominatim tribuat. His casibus, tanquam consanguinei, succedunt.

§. XXVIIII.

Adoptiui fratres non succedunt, nisi plene adoptati sint. Nam tunc et inter se, et filiis naturalibus, iisdemque legitimis adoptantis, tanquam consanguinei fratres, succedunt. Quod si iterum emancipentur, ius succedendi amittunt, sicuti etiam emancipatis non succedunt adoptiui.

§. XXX.

Spurii, qui ex eadem matre nati sunt, tanquam uterini, sibimet inuicem succedunt, nec interest, an ex eodem, b an ex diuersis patribus, suscepti sint. Imo etiam matris liberis legitimis, tanquam fratres unilaterales, succedunt. Alii tamen,

spurios, ab unilateralibus legitimis, excludi, contendunt, ceteri illegitimi succedendi iure penitus destituuntur,

b) Nam hi quoque non pro germanis, sed tantum pro uterinis, habentur, licet pater, per sententiam iudicis ecclesiastici, certus sit.

§. XXXI.

Quod ad cognatos remotiores attinet, si consobrinus ex utraque linea, cum consobrino simplici, concurrat, illum duplicem portionem accipere, non pauci contendunt, sed leges hanc eis non assignant, ut potior sententia uideatur illorum, qui bilaterali nullam praerogatiuam, prae unilateralibus, tribuunt.

§. XXXII.

Ceterum cognati proximi remotioribus praeferuntur, c si alii deficiant, remotiores, in quocunque gradu constituti, admittuntur, uxoremque excludunt. Neque enim saxonico iure, quo quidem nunc utimur, ad septimum, neque iure communi, ad decimum, successio restricta est. Affines iure succedendi non gaudent.

c) Exceptio in successione illustri, ubi, secundum ius lineale, succeditur, adeoque B. 7. excludit C. 5.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Deficientibus cognatis, in integram hereditatem ſuccedit coniux, ex *edicto unde uir et uxor*, modo, intra 100 dies utiles, bonorum poſſeſſionem petat, quod hodie uix requiri putem, ſed et alias, ſi coniux inops ſit, diuiti coniugi, in aliquam bonorum partem ſuccedit, in quartam, ſcilicet, ſi cum cognatis (quotcunque), aut, ſi cum tribus, uel paucioribus liberis, in portionem uirilem. Iure uſufructus autem, eam tantum capit, quoties cum liberis, ex ſe natis, ſuccedit, ſin cum priuignis, aut conſanguineis, defuncti aſcendentibus, aut collateralibus, concurrat, pleno iure.

§. XXXIV.

Saxonum iure, uxor, etiamſi inops non ſit, portionem ſtatutariam pleno iure ſibi uindicat, quartam quidem, ſi liberi adſint, ſin ii deficiant, tertiam, ſed, hanc portionem ſi poſtulet, dotem illatam conferre tenetur.

§. XXXV.

Maritus, apud Saxones, omnia uxoris mobilia acquirit, neque ex iis quicquam, niſi liberis, aut parentibus, ſup-

plementum legitimae praestat. Si mobilia uxor non relinquat, nihil quicquam, ex eius hereditate, maritus capit, nisi, quod inopi, secundum *Nou. 117.* successionem quidam Doct. concedant.

§. XXXVI.

Collegia quaedam et pia corpora succedendi iure gaudent, si et cognati, et coniux, deficiant. Ita ecclesia clerico, studioso academia, senatori curia, militi legio, in subsidium succedit. Neque tamen quaeuis collegia hoc iure fruuntur.

§. XXXVII.

Tandem uacua hereditas ad fiscum deuoluitur, ad Principis, puta, fiscum. Magistratus enim inferiores iure fisci destituuntur. Iure Sax. magistratui, altam iurisdictionem habenti, hoc ius uulgo tribuunt, sed, ex textibus iuris saxonici communis, ea sententia probari nequit. *Constitutio* tamen AVGVSTI *38. P. 3.* Ordinibus Electoralis Saxoniae ius hoc tribuere uidetur, non tamen, ui iurisdictionis, sed ui priuilegii, id eis competit. Vnde praefectis, etiam iis, quibus, per admodiationem, fructus iurisdictionis locati sunt, successionem in bona uacantia, non dubitem, denegare.

XXXVIII.

§. XXXVIII.

Perinde heergewettam et geradam fiscus capit, illam quidem, si agnati, hanc, si cognatae, deficiant. Quaenam uero res ad heergewettam, quae ad geradam, pertineant, STRVV. *ad* ANTON. MATTH. et BEYER. *in Volckmanno emendato*, exponunt. Gerada regulariter plena praestanda est, etiam collateralibus defunctae, nisi minus plena usu recepta, uel statuto introducta sit. Aes alienum ex ea, in subsidium, soluendum est, sed uxor, ex gerada, debitoribus mariti satisfacere omnino non tenetur. Anno et geradae et heergewettae praescribitur.

§. XXXVIIII.

Haec, de successione ab intestato, dixisse sufficiant, nisi, quod hoc addendum sit, iuxta LL. romanas, successionem deferri, uel iure ciuili, uel iure praetorio. Quae praetorio iure defertur, bonorum possessio dicitur, eaque uel *decretalis* est, uel *edictalis*. *Edictalis* alia secundum tabulas, alia contra tabulas, alia ab intestato succedentibus, datur. De usu eius uarie sentiunt. Alii prorsus negant, ea amplius opus esse, alii amplius, quam necessitas postulat, eius usum proferunt. Verius est, non quidem nullum, exiguum tamen esse usum.

§. XXXX.

Tandem obseruari meretur, successionem rerum immobilium deferri, iuxta iura loci, ubi illa sita sunt, in mobilia, secundum leges, quae obtinent, in domicilio defuncti.

TITVLVS XX
DE
ACQVISITIONE ET OMISSIONE HEREDITATIS

§. I. *Acquisitio et omissio hereditatis quid sit.*
§. II. et III. *Differentia quoad suos et extraneos heres.*
§. IIII. *De obligatione heredis et spatio deliberandi.*
§. V. *De beneficio inuentarii.*

§. I.

Is, cui hereditas, siue ex pacto, siue ex testamento, siue a lege, defertur, eam aut acquirit, aut omittit. Acquisitio in immixtionem et aditionem, omissio in abstinentiam, et repudiationem, diuiditur.

§. II.

Scilicet sui abstinent, extranei repudiant, sui se immiscent, extranei adeunt. Extranei autem omnes, qui in defuncti potestate non fuerunt, uocantur.

§. III.

§. III.

Sui hereditatem ipso iure acquirunt, etiam ignorantes, eandemque in quoscunque heredes transmittunt. Extranei nondum aditam hereditatem non transmittunt, nisi, aut impediti, ex iusta causa, fuerint, quo minus adierint, aut, intra annum deliberationis, decesserint. Soli descendentes, licet sui heredes non sint, hereditatem ad descendentes suos, etiam non aditam, transferunt.

§. IIII.

Cum uero heres et legata praestare, et debita defuncti soluere, et obligationes, ab eo contractas, et actiones, contra ipsum institutas, in se suscipere teneatur, annum ipsi deliberandi spatium datur, utrum acquirere, an hereditatem omittere, uelit, quod spatium, etiam apud Saxones, annum ciuilem tantum complectitur. Itaque, si creditores urgeant, intra annum hereditas adeunda est, alias quocunque tempore fieri potest, nisi interim alius eam occupauerit. Is enim heredem, hereditatis petitionem instituentem, exceptione praescriptionis, remouere potest.

§. V.

§. V.

Competit etiam ei, qui hereditatem adit, beneficium inuentarii, quod si legitime confecerit, non amplius tenetur creditoribus hereditariis satisfacere, quam uires hereditatis patiuntur. Inchoari illud, intra xxx dies, absolui, intra LX dies, debet. Conuocatio creditorum et legatariorum hodie non requiritur. Qui non confecit inuentarium, solidum creditoribus praestare compellitur, apud Saxones, edita iurata specificatione, liberatur.

LIBER III

DE

IVRE AD REM

TITVLVS I

DE

OBLIGATIONE

§. I. *Ius ad rem consistit in obligatione personali.*
§. II. *Haec oritur ex facto licito, aut illicito.*
§. III. *Sed obligatio in genere latius patet.*
§. IIII. *Obligatio quid.*
§. V. *Vulgaris definitio obscura et dubia.*
§. VI. *Quotuplex sit obligatio, sed civilis figmentum est.*
§. VII. *De mixta eiusque subdivisione in civilem et praetoriam.*
§. VIII. *De naturali plena, vel minus plena.*

§. I.

Actum est, de iure in re, sequitur ius ad rem, quod non ipsam rem afficit, sed tantum, contra personam, quae nobis obligata est, actionem praestat.

§. II.

Obligatio haec ex facto oritur, quod uel licitum est, uel illicitum. Namque et ex pollicitatione, atque conuentionibus, et ex delictis, actiones personales descendunt.

§. III.

Solent Doctores hoc loco, de obligatione in genere, agere, sed haec ad ius ad rem

rem reſtringi nequit. Saltim, ſi uox obligationis in illa latitudine accipiatur, qua uulgo illam accipiunt. Rectius haec materia ad caput, de legibus et iure generali, refertur. Sed nos tantiſper IVSTINIANVM et ſcholam communem ſequemur.

§. IIII.

Obligatio igitur eſt iuris uinculum, quo quis, ad aliquid faciendum, obſtringitur. Ad faciendum, inquam, ſed hac uoce dandi etiam obligationem complector.

§. V.

Quid iuris uinculum ſit, per quod ICti obligationem definiunt, illi non ſatis explicant. Et uereor, ne definitio obſcura magis ſit, quam definitum. Sed ſolent ICti accuratiorem philoſophiam non ubique requirere, aut obſeruare. Imo ipſi philoſophi nondum, in quo conſiſtat obligatio, ſatis expoſuerunt.

§. VI.

Diuidunt obligationem, in *ciuilem*, *naturalem* et *mixtam*. *Ciuilis*, quam ita uocant, figmentum eſt iuriſprudentiae romanae. Nullam, dari obligationem ciuilem, plane ſum perſuaſus. Fingunt, eam

eam actionem quidem producere, sed sine exactione, elidi enim ope exceptionum. Sed inanis actio, etiam, ubi nulla adest obligatio, institui potest, et, quoties ciuilis, quam uocant, obligatio effectum producit, (e.g. si exceptio a reo non opponatur, aut res iudicata accedat) non mere ciuilis est.

§. VII.

Mixta obligatio, quam ego ciuilem dicere malim, (cum etiam absque obligatione naturali constitui possit) producit ius agendi, seu conueniendi eum, qui mihi obstrictus est. Hanc leges romanae subdiuidunt in ciuilem et praetoriam.

§. VIII.

Naturalis obligatio est, quae, iure Nat. efficax et ualida habetur, sed ICti nostri in alio sensu accipiunt, et naturalem duplicem constituunt, plenam aliam, aliam minus plenam. *Plena* omnes habet effectus obligationis ciuilis, nisi, quod actionem non producat. Huius, nescio, an hodie exemplum superst, postquam pacta etiam ciuiliter obligare censentur. *Minus plena* omni effectu destitui, sed exem-

exemplum, quod de antidoris uulgo afferunt, ad naturalem obligationem uix referri poteſt. Ab hac differt obligatio naturalis, quam lex improbat, infirmat, quae effectibus pleriſque, ſi non omnibus, obligationis naturalis plenae deſtituitur, ut minoris, mulieris ſaxonicae, ſine curatore contrahentis, feminae fideiubentis, filiifamilias, mutuum contrahentis.



TITVLVS II

DE

PACTIS ET CONTRACTIBVS

§. I. *Pactum quid et quomodo a pollicitatione et uoto differat.*
§. II. *Pactum et contractus non differunt iure nat. bene uero iure rom.*
§. III. *Pactum, iuris romani nudum.*
§. IIII. *Contractus quid sit, et de pacto non nudo.*
§. V. *Pacta legitima, uel ciuilia, uel praetoria.*
§. VI. *De pactis adiectis.*
§. VII. *Hodie omnia pacta obligant.*
§. VIII. *Nec pacta et contractus hodie differunt.*
§. VIIII. *Inutilis diuisio pactorum in nuda et non nuda.*
§. X. *Contractus ueri sunt, uel quasi contractus.*
§. XI. *Verus uel nominatus, uel innominatus.*
§. XII. *Nominatus quotuplex, an omnes hodie consensuales et an literales ac uerbales supersint.*
§. XIII. *De realibus.*
§. XIIII. *De unilateralibus et bilateralibus.*
§. XV. *Bonae fidei et stricti iuris.*

§. I.

Pactum est plurium in eandem rem consensus. Differt a pollicitatione, quae est promissio, reipublicae facta, et a uoto, quo quis Deo quid pollicetur.

§. II.

Inter pactum et contractum nulla intercedit naturalis differentia, ut frustra sint prudentiae naturalis interpretes, qui inter utrumque constituunt discrimen. Leges romanae, quia pactis efficaciam, producendi actionem, negant, a pactis contractus distinguunt, hosque, natura sua, actionem producere tradunt.

§. III.

Pactum igitur in ſpecie eſt conuentio ſimplex, (iuxta diſciplinam iuris romani) quae actionem non parit, aut, ut uulgo loquuntur, cauſa caret, idque pactum nudum dicunt, quale exiſtere, omnino ſunt, qui negant. Alii, pacta quaeuis, etiam iure romano, actionem producere, contendunt, ſi modo contrahentium conſenſus liber et perfectus acceſſerit, doctrinamque, de pactis nudis, ad pacta praeparatoria (tractaten, praetractaten) reſtringunt, utroſque falli exempla pacti de permutando, aliaque plura tradunt.

§. IIII.

Contractum contra uocant conuentionem, cum cauſa, i. e. natura ſua, actionem producentem. Sed et, praeter contractum, quaedam pacta actionem producere, concedunt, [a] quae pacta non-nuda uocant, ut pacta legitima et contractui adiecta.

a) Non tamen natura ſua.

§. V.

Pacta legitima uocant illa, quae, natura ſua, nuda ſunt, ſed efficientiam, actionem producendi, a lege acceperunt. Haec ſunt

sunt uel ciuilia, ut donatio conuentionalis et pactum de dote, uel praetoria, ut constitutum. Quae ex his actio datur, condictio ex lege appellatur.

§. VI.

Ex pactis, quae contractibus adiecta sunt, eadem actio, quae ex ipso contractu oritur, sed non, nisi in continenti illa fuerint adiecta.

§. VII.

Hodie quaeuis pacta, etiam nuda, actionem producere, omnes doctores concedunt, ex *c. 1. et 3. X. d. pact.* nisi, quod, circa pacta, quae contractus innominatos praecedunt, nonnulli frustra dubitent.

§. VIII.

Ex hoc uero consequitur, inter pactum et contractum, nullam intercedere differentiam, cum hodie pactum etiam causam habeat, et actionem producat. Nam, quod haec actio condictio ex moribus dicatur, illa actio ex contractu, inane discrimen esse, puto, cum etiam illa actio ex pacto dici possit.

§. VIIII.

Porro inde fluit, diuisionem, in pacta nuda et non-nuda, hodie inutilem esse, pactis legitimis amplius non esse opus, aut omnia pacta esse legitima, nec amplius ex speciali legis priuilegio, sed ex iure communi, producere actionem, pacta, contractui adiecta, etiamsi ex interuallo accedant, actionem praestare, adeoque ea quoque peculiarem classem non amplius constituere. Imo et, plerasque contractuum diuisiones inanes esse hodie, inde consequitur.

§. X.

Diuidunt contractus, in ueros et quasi contractus. Haec diuisio ipsis cum pactis communis est. Nam et pactum est, uel expressum, uel praesumtum. Inter hoc et quasi contractum forte nihil interest. Legis fictio utrumque sustinet.

§. XI.

Verus contractus est, uel nominatus, uel innominatus. Sed, quid innominatus a pacto differt? Sane doctrina iuris germanici, de pactis nudis, contractus innominatos prorsus sustulisse uidetur, quod suo loco plenius exponemus.

§. XII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0224
DFG

§. XII.

Veros contractus in *reales*, *uerbales*, *literales* et *consensuales*, diuidunt. Ast parum abest, quin putem, omnes hodie consensuales dici posse. Verbales sane sublati sunt et cum pactis confusi. Literalis contractus figmentum est, quo carere possumus, si, quod res postulat, contractum chirographarium, mutuum praesumtum, dicamus.

§. XIII.

Soli ergo contractus reales restant. Quis uero dubitet, etiam pactum, de dando mutuo, de re commodanda, de deposito recipiendo, actionem praestare. Quae pacta, si quis, contractum mutui, commodati, depositi, hodie iam constituere, affirmet, is facile intelliget, hos quoque contractus nunc consensuales esse.

§ XIIII.

Porro contractus alii unilaterales sunt, alii bilaterales. Quam diuisionem naturalibus principiis satis, puto, conuenire, quamuis non ignorem, alios contractus unilaterales negare, et, aliquos ex iis, qui unilaterales dicuntur, hodie ad bilaterales referri posse, existimem.

§. XV.

Prope huc accedit diuiſio, in bonae fidei et ſtricti iuris contractus, niſi, quod, ex unilateralibus, permutatorius et aeſtimatorius contractus, ac ſtipulatio, dotis repetendae cauſa, interpoſita, ad bonae fidei contractus referatur. Inter hos bonae fidei et ſtricti iuris contractus, differentias plurimas ius ciuile conſtituit, ſed, de iis, deque earum uſu, *cap. ſeq.* diſpiciemus.



TITV-

TITVLVS III

DE

HIS QVAE OMNIBVS CONTRACTIBVS SVNT COMMVNIA

§. I. *Qui contrahere impediantur, aut prohibeantur.*
§. II. *An filiiſſam. cum patre? an mulier fideiubere.*
§. III. *Conſenſus in omni contractu requiritur.*
§. IIII. *Subſtantialia contractuum.*
§. V. *Naturalia.*
§. VI. *Accidentalia.*
§. VII. *De damni praeſtatione, ex dolo.*
§. VIII. *Culpa quid et quotuplex ſit.*
§. VIIII. *Regulae circa eius praeſtationem.*
§. X. *Exceptiones regulae poſterioris.*
§. XI. *Diſſenſus doctorum.*
§. XII. *Culpa lata.*
§. XIII. *Leuis.*
§. XIIII. *Qualis culpa commiſſa ſit, arbitratur iudex.*
§. XV. *De caſu fortuito.*
§. XVI. *Mora ſpecies culpae eſt.*
§. XVII. *De caſus praeſtatione.*

§. I.

Contrahere et paciſci omnes poſſunt, niſi, qui, aut impediuntur, aut prohibentur. Impediuntur furioſi, mente capti, ſumme ebrii, prohibentur pupilli, minores, prodigi et, in Saxonia, feminae, de quibus omnibus ſupra dictum, *libr. I. tit. ult. §. 2.*

§. II.

Filiifam. cum patre, in cuius poteſtate ſunt, contrahere nequeunt, ſed, id, moribus Germanorum, non obtinere, collegia Vitembergenſia cenſent, mutuum contrahere filiifam. ICto Macedoniano,

mulieres fideiubere, Velleiano, prohibentur.

§. III.

Consensus, in omni contractu', requiritur, isque liber, non metu extortus, non dolo elicitus, alias contractus nullus est. Leges romanae contractum, metu extortum, non nullum esse, sed, actione, uel exceptione metus, rescindendum, constituunt. Quoad dolum, inter b. f. et stricti iuris contractus, inter dolum, causam contractui dantem, et incidentem, distinguunt. Quas distinctiones hodie usum non praestare, quidam, non sine ratione, contendunt, plerique tamen principiis iurisprudentiae ciuilis inhaerent.

§. IIII.

Sunt uero quaedam contractuum uelut substantialia, quaedam naturalia, quaedam accidentialia. *Substantialia* pertinent, uel ad substantiam omnium contractuum, ut consensus, uel ad singulorum contractuum substantiam, ut pretium ad substantiam emtionis, res fungibilis ad substantiam mutui. Si substantialia communia deficiunt, contractus plane corruit, contra, si substantialia specialia tollas, con-

tractus

tractus tantum immutatur. Ita, deficiente consensu, contractus, qualiscunque, nullus est. Contra, si pro pretio, in emtione, res alia detur, desinit esse emtio, et fit permutatio, et, si, pro re fungibili, non fungibilis detur, mutuum non amplius dicitur, sed uel commodatum, uel alius contractus innominatus.

§. V.

Naturalia contractuum dicuntur, quae regulariter et natura sua contractibus insunt, atque, si, per pactum, immutentur, contractum non reddunt nullum, neque alterant, sed irregularem tantum efficiunt, ut culpae praestatio. Nam, si quis, per pactum, eam in se recipiat, aut ab ea liberetur, contractus irregularis fit.

§. VI.

Denique *accidentalia* dicuntur, quae contractui non insunt, natura, et, si adiiciantur, eum irregularem non reddunt, ut, si emtioni pactum, de retrouendendo, uel legis commissoriae, accedat.

§. VII.

In omnibus contractibus occurrit damni praestatio. Damnum autem datur uel culpa, uel ex casu fortuito oritur. Id,

quod dolo, datum est, ab eo, qui dolum adhibuit, in omni conuentione praestandum est, adeo, ut pacto dolus committendus permitti nequeat. Damni tamen, dolo dati, praestatio remitti potest. Dolus uero est propositum aliquem laedendi.

§. VIII.

Culpa autem est imprudentia, seu negligentia, per quam alium laedimus. Huius alii non, nisi duas, plerique tres, non nulli etiam plures species constituunt. Et uidentur ipsi ICti romani non in eadem omnes opinione fuisse. Communis sententia rationi satis conuenit, quae, culpam aliam *latam*, aliam *leuem*, aliam *leuissimam* esse, tradit.

§. VIIII.

Circa praestationem enim culpae duae regulae seruandae sunt. I. Quoties ex contractu aequalis ad utrumque contrahentium utilitas redit, uterque mediam, i. e. *leuem* culpam praestat. II. Quoties autem unius praecipue utilitas, per contractum, promouetur, is quidem ad *leuissimam*, alter, ad quem nullum commodum redundat, ad *latam* tantum culpam praestandam, obligatur.

§. X.

§. X.

Sed posterior regula plures patitur exceptiones. Nam, in precario, accipiens, ad quem omnis utilitas peruenit, latam tantum culpam praestat, mandatarius et negotiorum gestor contra leuissimam, tutor leuem, qui nullum ex his contractibus sentiunt emolumentum.

§. XI.

Equidem alii, in omnibus contractibus leuissimam culpam praestare debere, existimant, et actionem legis Aquiliae ad damnum, culpa in contractibus datum, proferunt, alii, ex moribus Germanorum, pro ea sententia propugnant. Sed nec aequitas naturalis, neque ius aut romanum, aut germanicum, illam sententiam adiuuat.

§. XII.

Culpa *lata* dolo quodammodo comparatur. Vnde, qui dolum tantum in se recepit, ad latam culpam praestandam tamen obstringitur, sed, si, de infamia, aut poena grauiore, irroganda, agatur, culpa qualiscunque pro dolo non habetur.

§. XIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0231
DFG

§. XIII.

Culpa *leuis* est omissio diligentiae ordinariae. Haec regulariter aestimatur, ex communi hominum industria. In societate tamen, sufficit praestare eam diligentiam, quam rebus quisque suis adhibet, in tutore haec non sufficit, sed requiritur tamen, si suis rebus ipse maiorem, quam uulgo solent homines, industriam adhibeat.

§. XIIII.

Vtrum uero culpa lata, leuis, an leuissima, admissa sit, iudex aestimat. Nam legibus gradus illi non satis distincti sunt et expressi.

§. XV.

Casum fortuitum nemo praestat, ne is quidem, qui, ex contractu, omne commodum solus percipit, ut commodatarius, sed res perit suo domino. Exceptio est in uenditore et in debitore rei singularis. Quod si casus, ex dolo, uel culpa praecedente, oriatur, sine dubio is casum praestat, qui dolum, uel culpam, commisit, modo eam culpam admiserit, ad quam praestandam, ex natura contractus, tenebatur.

§. XVI.

§. XVI.

Ad culpam etiam *mora* pertinet. Post moram itaque commissam, casus praestandus est, nisi quis probare possit, rem alias quoque perituram fuisse.

§. XVII.

Porro ex pacto quoque casus praestatio quandoque suscipitur. Vbi, qui fortuitum in se recipit, de insolitissimis non tenetur, de iis, inquam, de quibus nemo potuit cogitare. Pactum tacitum subest, si res, aestimata, alicui, ea lege, tradatur, ut aut rem restituat, sine exceptione, aut eius aestimationem praestet.

TITVLVS IIII

DE MVTVO SCTO MACEDONIANO ET CONTRACTV CHIROGRAPHARIO

§. I. *Quid sit mutuum et pactum de mutuo dando.*
§. II. *Requirit res fungibiles.*
§. III. *Est alienatio et dominium transfert.*
§. IIII. *Qui mutuum dare et contrahere possint, an mulieres et filiifam.*
§. V. *SCtum Macedon. unde dictum.*
§. VI. *SCtum hoc ad filiafF. et heredes quoque pertinet, quando id fideiussorem.*
§. VII. *An contra cambium?*
§. VIII. *An filiusfam. ex mutuo naturaliter obligetur.*
§. VIIII. *De inrata renuntiatione SCti Maced.*
§. X. *De probatione mutui.*
§. XI. *De exceptione non numeratae pecuniae, in processu executivo et cambiali.*
§. XII. *Actor debet probare numerationem.*
§. XIII. *Secus post biennium, ubi haec exceptio prorsus cessat.*
§. XIIII. *Non datur contractus chirographarius.*
§. XV. *De mutui restitutione.*
§. XVI. *Qualis actio ex mutuo.*

§. I.

Contractus, quo quis rem suam, fungibilem, alteri, ea lege, dat, ut, constituto tempore, aliam eiusdem generis et bonitatis, ab eo recipiat, *mutuum* dicitur. Secundum disciplinam iuris romani, est *contractus realis*, stricti iuris et unilateralis. Quodsi, hodie, per pactum, de mutuo dando, ipsum contractum iam constitui, existimes, bonae fidei erit, bilateralis et consensualis.

§. II.

Dicitur autem res fungibilis, quae usu consumitur, aut, qua ita uti uix possumus, ut

ut in ſpecie amplius reſtitui queat, unde pondere, numero et menſura, tantum conſtare, i. e. aeſtimari, dicitur, ut uinum, oleum, pecunia, huius enim uſus non poteſt eſſe, niſi expendatur. Si alia lege detur, contractus immutatur. Quod ſi res non fungibilis, ea conditione, detur, ut res alia eiuſdem generis, pro ea, reſtituatur, mutuum non erit, ſed permutatio, aut alius contractus innominatus.

§. III.

Mutuum ergo eſt alienatio, et dominium, per mutuum, tranſfertur, unde et ad debitorem periculum rei acceptae pertinet.

§. IIII.

Mutuum dare poſſunt, qui alienandi facultate non ſunt deſtituti, accipere, qui contrahere et ſe ualide obligare poſſunt, non igitur mulieres, apud Saxones, ſine curatore, licet CARPZOVIVS ita ſentiat, *P. 2. C. 15. d. 16.* quem plerique ſequuntur. Fliifam. cum contrahere et ſe obligare alias ualeant, ex mutuo tamen, per *SCtum Macedonianum*, non obſtringuntur.

§. V.

Hoc a Macedone ita dictum fuit, quem, plerique, foeneratorem fuiſſe, contendunt,

arg.

arg. *l. 1. π. ad SC. Maced.* sed THEOPHILVS, *paraphraſ. graec. Inſt. ad. §. 7. Quod cum eo, qui in al. pot. eſt.* filiumfam. fuiſſe, tradit. Denegat uero id repetitionem pecuniae, filiofamilias creditae.

§. VI.

Ad filiaſſam. quoque pertinet, et heredibus etiam exceptio SC. Maced. datur, ſi ex filiifam. obligatione conueniantur, ſed et fideiuſſori, niſi expromiſſor ſit, et principaliter ſe obligauerit.

§. VII.

Etiam aduerſus cambium, haec exceptio opponi poteſt, quia debitum cambiale, ex cauſſa mutui, contractum praeſumitur, quae praeſumtio ſaltim in cambio proprio, ſi non alia debendi cauſa expreſſa ſit, locum habet.

§. VIII.

Vulgo quidem, filiumf. ex mutuo naturaliter obligari, uolunt, idque PAVLVS, in *l. 10. π. h.* affirmat, ſed plerique tamen effectus ciuiles obligationis naturalis hic ceſſant, adeoque uocabulum naturalis obligationis, in *d. l.* improprie accipitur. Solutum tamen repetere eum non poſſe, ex

ex *l. 9. §. 4. ad SCtum Macedon.* et *l. 40. D. de cond. indeb.* constat, sed *d. l.* de casu agit, quo filiusfam. postquam paterfam. factus est, soluit, adeoque exinde inferri nequit, obligationem hanc naturalem esse efficacem.

§. VIIII.

Renunciatio etiam iurata efficere nequit, ut, durante patria potestate, aut filius, aut pater, conueniri possit, at id tamen iurata saltim renunciatio praestare uidetur, ut filiusfam. paterfam. factus, ad solutionem possit compelli.

§. X.

Sed ad mutuum reuertamur. Id uariis modis probari potest, plerumque tamen, per chirographum, probatio fieri solet, eaque plena omnino esse uidetur. Ad subtilitates igitur iuris romani pertinet, quod, cum, in aliis contractibus, confessio debitoris sufficiat, ad eum condemnandum, aduersus mutuum, quod debitor se accepisse professus est, intra biennium, exceptio non numeratae pecuniae ei concedatur.

§. XI.

Hanc exceptionem hodieque, in processu executiuo, plerique admittunt, quod

ordinationibus prouincialibus, quae, cauſas executiuas celerrime expediri, uolunt, contrarium. Aduerſus cambium non admittitur, niſi in continenti ſit liquida, imo ne ſic quidem, aduerſus cambium indoſſatum, locum habet.

§. XII.

Itaque, ſi quis ex mutuo, intra biennium, agat, probatio numerationis ei iniungitur. Quod ſi, per teſtes, aut alia inſtrumenta, e. g. per antapocham, creditum probare poſſit, reus, qui, id ſe accepiſſe, negauit, ob inficiationem, in duplum condemnatur. Quae dupli poena ceſſat, ſi quis iuramenti delatione utatur, et reus nequeat iuramentum praeſtare.

§. XIII.

Contra, poſt biennium, exceptio non numeratae pecuniae ceſſat, adeoque, ut, licet ipſe debitor probare uelit, ſe pecuniam non accepiſſe, amplius haud audiatur. Neque enim datur exceptio, quam nonnulli comminiſcuntur, non numeratae pecuniae, minus priuilegiata. Imo uix exiſtimem, iure romano, exceptionem doli, poſt biennium, admiſſam fuiſſe, quam tamen etiam illi, qui exceptionem non numeratae pecuniae, minus priuilegiatam, impugnant, admittunt.

§. XIIII.

§. XIIII.

Ex his apparet, chirographarium contractum re uera nullum dari. Nam, intra biennium, nulla adeſt obligatio, ex literis, poſt biennium autem, contractus hic mutuum praeſumtum potius, quam literarum obligatio, dici meretur.

§. XV.

Reſtituenda autem res credita a debitore eſt 1) in eodem genere, Logici dicunt, in eadem ſpecie, et 2) in eadem bonitate. Vbi, quod ad pecuniam attinet, reſpiciendum eſt ad tempus contractus, non ad tempus ſolutionis, niſi aequitas aliud poſtulet. Quod, in antiquis nominibus, omnino uſum praeſtat. Illa enim, pecunia, iuxta modum Zinnenſem, uel Imperialem, excuſa, diſſoluenda ſunt.

§. XVI.

Actio, quae ex mutuo deſcendit, condictio dicitur, perſonalis eſt, ciuilis, rei perſecutoria et perpetua, durat enim 30. annos. Alii plane negant, praeſcriptione eam extingui, ſtricti iuris, ex principiis iuriſprudentiae romanae, dicitur, quod forte hodie uſum uix praeſtat, nam uſuras, ex mora, in mutuo, deberi, ſatis liquet, per *R. I. nouiſſ.*

TITVLVS V
DE
COMMODATO DEPOSITO ET PIGNORE

§. I. *Commodatum est contractus realis.*
§. II. *Tribuit usum rei gratuitum.*
§. III. *Praestatur culpa leuissima.*
§. IIII. *An maior industria, quam in rebus propriis.*
§. V. *Commodans tantum dolum et culpam latam praestat et quales impensas restituat.*
§. VI. *Depositum quotuplex.*
§. VII. *Res immobiles quoque deponuntur.*
§. VIII. *Depositi usus non est permissus, sine pacto.*
§. VIIII. *De poena infitiationis, in deposito miserabili, et depositarii exceptionibus.*
§. X. *Pignus quid.*
§. XI. *Hypotheca.*
§. XII. et XIII. *De restituendo pignore et actione pignoratitia.*

§. I.

Per *commodatum*, usus rei nostrae gratuitus, ea lege, conceditur, ut res commodata in specie restituatur. Romano iure perinde, atque depositum et pignus, ad contractus reales refertur, adeoque a pacto, de re commodato danda, differt.

§. II.

Vsus rei commodatae debet esse gratuitus, alias enim locatio erit, non commodatum, honorarium tamen commodatarius commodanti dare potest. Vsus debet esse certus et determinatus, ut a precario differat, quod non ad certum usum conceditur, et, quandocunque danti uisum est, reuocari potest, cum commodatum, finito demum usu, restituatur.

§. III.

§. III.

Commodatarius, quia omnem ex hoc contractu utilitatem percipit, culpam leuissimam praestat, non tamen casum fortuitum, ne quidem, si, ex gentium et germanici iuris principiis, rem aestimes.

§. IIII.

Dixi, leuissimam culpam commodatarium praestare. Ex quo sequitur, eum maiorem etiam rebus commodatis, quam propriis, industriam adhibere teneri. Quod limitant nonnulli, et ad casum restringunt, si res commodatae sint pretiosiores. Verum, ad aestimationem rei commodatae praestandam, etiam eo casu obstringi, rectius alii tenent, quo res commodata uilior est, non pretiosior. Illi uero prorsus falluntur, qui, commodatarium quidem res commodatas propriis etiam pretiosioribus praeferre debere, uolunt, sed, actionem ei competere, putant, aduersus commodantem, ad aestimationem rerum propriarum petendam.

§. V.

Commodans tantum dolum et latam culpam praestat, magnas et, ultra usum duraturas, expensas commodatario resti-

tuit, minus principaliter obligatur, unde ipsi directa, commodatario, contraria, actio datur.

§. VI.

In *deposito*, res, gratis custodienda, traditur. Est uero depositum aliud in specie sic dictum, aliud, quod sequestrum dicitur, sequestrum uel personarum est, uel rerum, utrumque uel uoluntarium, uel necessarium. Depositum simplex quoque aliud uoluntarium, aliud necessarium, quod miserabile appellare solent.

§. VII.

Vtrum etiam res immobiles deponantur, controuersia est, diu multumque inter doctores agitata. Sed rectius sentire uidentur, qui id affirmant. Nam et sequestrum depositi species est, et inter depositum ac mandatum rei immobilis, maxima omnino, quoad culpae praestationem, differentia intercedit.

§. VIII.

Depositarius re deposita uti nequit, nisi pacto utendi facultas ei data sit, quod depositum irregulare uocatur. Tacitum pactum huiusmodi interceſſisse creditur, si pecunia, eademque obsignata, deponatur. Hoc, post usum demum, in mu-

uum

tuum tranſit, ante uſum, depoſiti naturam retinet, unde depoſitarius caſum non praeſtat, ſed latam tantum culpam.

§. VIIII.

Depoſitum miſerabile qui negat, ſi per teſtes, aut documenta, conuincatur, duplum praeſtat. Neque compenſationis, aut retentionis, exceptio depoſitario datur, niſi forte, ob expenſas, in ipſam rem depoſitam factas.

§. X.

Pignus creditori a debitore, in ſecuritatem debiti, traditur. Intelligo autem hic debitum qualecunque, ex obligatione ualida contractum.

§. XI.

Pignoris et *hypothecae* uox quandoque promiſcue uſurpatur. Quoties autem ſibi opponuntur, hypotheca ad res immobiles, pignus ad res mobiles, refertur, pignus creditori traditur, hypotheca remanet apud debitorem.

§. XII.

Soluto debito, pignus debitori reſtituendum eſt, quod is repetit, actione pignoratitia directa, ante ſolutionem enim inſtitui haec actio nequit, unde, nec

praescriptione eam tolli posse, contendunt, nisi ex illo tempore, quo debitum est dissolutum. Quod iure saxonico expeditum est, *P. 2. C. 1.* sed, iure communi, illa sententia dubiis non aeque caret.

§. XIII.

Actio pignoratitia contraria datur, ad indemnitatem, et creditori competit, qui, ex pignore, damnum accepit. Quomodo, ab hac pignoratitia actione, hypothecaria differat, alio loco tradidimus.

TITVLVS VI

DE

FIDEIVSSIONE

§. I. *Fideiussor.*
§. II. *Fideiussio supponit obligationem principalem ualidam.*
§. III. *Differt ab expromissione.*
§. IIII. *De fideiussore succedaneo et indemnitatis.*
§. V. *Fideiussor habet exceptionem ordinis.*
§. VI. *Et beneficium diuisionis.*
§. VII. *Item exceptionem cedendarum actionum.*
§. VIII. *Actio mandati aduersus debitorem.*
§. VIIII. *Fideiussio non amplius stipulatione, sed pacto, fit.*

§. I.

Sicuti pignora, ita fideiussores, in securitatem debiti, duntur, et accipiuntur. Dicitur autem *fideiussor*, qui alienam obligationem in se recipit, et, in subsidium, se, pro altero, obstringit.

§. II.

Praesupponit ergo *fideiussio* obligationem principalem, eamque ualidam, et lege ciuili non improbatam, namque alias, quae debitori competunt exceptiones, eaedem etiam fideiussori dantur. Vnde fideiussor, qui, pro muliere fideiubente, aut pro femina saxonica, sine curatore contrahente, interceſſit, non obstringitur.

§. III.

Fideiussor in subsidium duntaxat obstringitur, quo ipso ab expromissore differt,

fert, qui debitum in se transfert, et alterum, pro quo intercedit, ab obligatione plane eximit.

§. IIII.

Interdum etiam pro fideiussore quis fideiubet, si creditor fideiussori fidem non habeat, cuiusmodi *fideiussor succedaneus*, uocatur. Sed, in securitatem fideiussoris, aliquando fideiussor constituitur, qui *indemnitatis* dicitur.

§. V.

Si fideiussor, ante principalem debitorem, conueniatur, exceptionem opponit, quae *ordinis*, siue *excussionis*, beneficium dicitur, sed hoc cessat, si principalis debitor aut absit, aut notorie non sit soluendo, si quis, pro fisco, se obligauerit, aut huic exceptioni in specie renunciauerit.

§. VI.

Si plures pro uno intercesserint, beneficio diuisionis id obtinet, ut pro rata tantum teneantur, nisi et huic exceptioni in specie renuntiauerint, aut, tempore institutae actionis, reliqui iam soluendo esse desierint.

§. VII.

§. VII.

Datur etiam fideiussori exceptio cedendarum actionum, ui cuius creditori non ante satisfacere tenetur, quam ille obligationes et actiones, aduersus debitorem et confideiussores, competentes, ei cesserit. Hanc cessionem, facta solutione, amplius fieri non posse, multi contendunt, sed subtilitatem hanc mores Germanorum non attendunt. Sed et ipsae leges romanae illam sententiam uix satis firmant.

§. VIII.

Sed actio mandati, aduersus debitorem, fideiussori datur, aut negotiorum gestorum actio, illa quidem, si pro sciente, haec, si pro ignorante, interceſſerit.

§. VIIII.

Ceterum olim omnis fideiussio per stipulationem contrahebatur, hodie pactum sufficit, ac in uniuersum nullus amplius stipulationum usus est, de quibus titulo sequenti agemus.

TITV-

TITVLVS VII

DE

VERBORVM OBLIGATIONIBVS

§. I. *Hodie nullus ſtipulationum uſus,*
§. II. *Hodie non requiritur reſponſio in continenti.*
§. III. *Valet, quoque promiſſio ſub conditione.*
§. IIII. *Plures res poſtulenti una tantum poteſt promitti.*
§. V. *Stipulationes in genere ad conuentiones pertinent, u. g. promiſſio in diem.*
§. VI. *De certo die et ſub conditione negatiua.*
§. VII. *De obligatione dandi, aut faciendi.*
§. VIII. *Si factum alienum promiſſum.*
§. VIIII. *An paciſci poſſumus pro altero?*

§. I.

Scilicet omnis uerborum obligatio hodie ſublata eſſe uidetur, ex quo pacta nuda uim obligandi habere coeperunt, nullus amplius ſtipulationum uſus eſt, nulli uerbales dantur contractus.

§. II.

Itaque non opus eſt, ut interroganti quis in continenti reſpondeat, ſed ualet hodie, etiam ex interuallo accedens, et ab abſente, per literas, data reſponſio.

§. III.

Perinde, ſi pure interroganti, ſub conditione, promittam, ſubſiſtit promiſſio, licet olim inualida ea habita fuerit.

§. IIII.

§. IIII.

Sed et, si quis, plures res disiunctim postulanti, unam, se daturum, promittebat, irrita olim erat stipulatio, hodie autem huiusmodi promissio sine dubio actionem producet.

§. V.

Ceterum pleraque, quae, circa stipulationes, ius Iustinianeum constituit, ad omnes conuentiones in genere pertinent. Ita, si quis in diem quid promittat, statim cedit obligationis dies, sed non uenit, nisi, tempore illo elapso.

§. VI.

Sic et, qui, certo die, se daturum quid, pollicitus est, non, nisi elapso die, conueniri potest. Si, sub conditione negatiua, promissum est, non, nisi post mortem stipulantis, id debetur.

§. VII.

Qui daturum se aliquid recepit, ad rem, praecise tradendam, obstringitur. In obligatione faciendi, liberamur eius, quod interest, praestatione.

§. VIII.

§. VIII.

Alieni facti praestatio, si quis, ut quid fiat, se curaturum, promiserit, ad diligentiam adhibendam, si, effecturum, etiam ad praestandum interesse obstringitur.

§ VIIII.

Pro altero, quis nec hodie pacisci potest, nisi pacisscentis interfit, aut alter id acceptauerit. Inter parentes autem et liberos, inita pacta, iure Germanorum, sustinentur. Sed haec, ut dixi, generalia sunt omnium conuentionum, et ad communia omnium contractuum pertinent, de quibus *tit. 3. hui. libr.* actum est.



TITV-

TITVLVS VIII

DE

EMTIONE VENDITIONE

§. I. *Contractus consensuales quot.*
§. II. *Emtio uenditio, quomodo differat a permutatione.*
§. III. *Pretium debet esse uerum et iustum.*
§. IIII. *De periculo et commodo rei uenditae.*
§. V. *Quando pretium soluendum.*
§. VI. *Pacta, huic contractui adiici, sueta.*

§. I.

Supersunt contractus, quos solo consensu constitui, ipsi romani ICti concedunt, quo in numero sunt emtio, locatio, emphyteusis, societas et mandatum. Hi omnes bonae fidei sunt et bilaterales.

§. II.

Emtio et uenditio contrahi dicitur, quando inter partes conuenit, ut res certa, pro certo pretio, tradatur. Pretium consistere debet in pecunia numerata, alias permutatio contracta censetur, non uenditio. Si et res et pecunia pro re detur, uidendum, utra praeualeat. In dubio emtio praesumitur. Sed et, si ab initio pecunia promissa sit, licet res aliae dein in solutum dentur, emtio contracta censetur.

§. III.

Debet autem pretium esse uerum, idemque iustum. Nam, licet iure gent. emtio, ob laesionem qualemcunque, rescindi nequeat,

queat, iura ciuilia tamen, si ultra dimidium quis laesus sit, ei remedio *l. 2. C. de resc. uend.* succurrunt.

§. IIII.

Simul, ac partes consenserunt, commoda rei uenditae perinde, ac periculum eius, ad emtorem pertinent, quamuis dominium adhuc sit penes uenditorem, quod ad subtilitates romani iuris referendum est.

§. V.

Emtor non tenetur pretium soluere ante, quam res ei tradita fuerit, nec uenditor rem tradere ante, quam pretium ei sit solutum. Sed, qui, ad implementum contractus, agere cupit, ei, ex sua parte, antea satis facere debet. Nec a contractu recedere potest, eam ob causam, quod alter contractum non adimpleuerit, nisi pactum legis commissoriae contractui fuerit adiectum.

§. VI.

Pacta uaria huic contractui adiici solent, ut pactum addictionis in diem, de retrouendendo, legis commissoriae, dominii reseruatiuum et, de euictione praestanda, de quibus singulis, in D. ex instituto agitur.

TITV-

TITVLVS VIIII
DE
LOCATIONE CONDVCTIONE

§. I. *Locatio uel operarum, uel rerum, est.*
§. II. *Operae honestioris non est locatio, de mercede indeterminata et locatione tacita.*
§. III. *Locatio conductio aliquando fit contractus innominatus.*
§. IIII. *Quando conductor, ante tempus, possit expelli.*
§. V. *Aut discedere.*
§. VI. *Quodsi rem conductam locator uendiderit.*
§. VII. *Actio contra locatorem.*
§. VIII. *Qualem culpam praestet conductor, et de damno circa fructus.*

§. I.

In locatione conductione, pro mercede, rei usus, aut opera personae, promittitur, unde alia locatio rerum est, alia operarum, qui uero locatorem operarum conductorem operis uocant, uerbis ludunt, et nomina rerum confundunt. Nam is, qui mercedem accipit, locator tantum dicendus est, qui dat, conductor, huic conducti, illi locati, actio competit.

§. II.

Si opera honestior, pro honorario, praestetur, non locatio, sed alius contractus, intercedere creditur. Si merces definita non sit, iudex determinat eius quantitatem, sed ea ratione contractus innominatus, non locatio conductio, contrahitur, secundum principia iuris romani. Hodie nihil obstat, quo minus etiam huius modi

conuentio locatio appelletur. Ceterum etiam agnitione locatio tacite contrahi potest, si de mercede aliunde constet.

§. III.

Merces debet consistere in numerata pecunia. Si opera pro opera, usus rei pro usu, opera pro usu, aut usus pro opera, praestetur, contractus innominatus, non locatio, contrahitur. Sed haec quoque subtilitas hodie inanis esse uidetur.

§. IIII.

Ante finitum usum, expelli conductor potest, si re abutatur, si pensionem, statis terminis, non soluat, modo saltim duos terminos neglexerit, si ipse locator, uel familia, re locata indigeat. Hoc casu tamen merces remittenda est.

§. V.

Contra conductor, ante finitum tempus, discedere potest, si re locata uti non liceat, si pestis, aut bellum, immineat, imo et, ob metum spectrorum, si, illis se agitari, possit probare.

§. VI.

Si locator rem conductam uendat, conductor ab emtore expelli potest, nisi ea lege

lege uendita res sit, ut conductori usus relinquatur, aut initio contractui locationis pactum, de non alienando, additum, et hypotheca eo nomine constituta, fuerit, et quidem, in Saxonia, iudicialis, uel, si res sub hasta fuerit emta. Quod moribus saltem obseruatur.

§. VII.

Potest tamen locator, qui rem locatam uendit, ad praestationem eius, quod interest, compelli.

§. VIII.

Conductor praestat culpam leuem, rei interitus ad dominum pertinet, si circa fructus, nondum perceptos, damnum graue fortuitumque conductor patiatur, pensio ei remittenda est a locatore.



TITVLVS X
DE
EMPHYTEVSI

§. I. *Ius et obligatio emphyteutae.*
§. II. *In constituenda emphyteusi an scriptura opus.*
§. III. *Amittitur emphyteusis, ob non solutum canonem.*
§. IIII. *Ob alienationem, domino non oblatam.*
§. V. *Nisi pater liberis uendiderit.*
§. VI. *De praediis censiticis et laudemio.*

§. I.

In emphyteusi dominium utile conceditur emphyteutae, ea lege, ut fundum meliorem reddat, annuumque canonem praestet, in recognitionem dominii directi. Hodie, cum non amplius steriles tantum et inculti agri, in emphyteusin, dentur, sufficit, emphyteutam eos non reddere deteriores.

§. II.

Scriptura ad constitutionem emphyteuseos simpliciter non requiritur, nisi forte in emphyteusi ecclesiastica. Itaque, quod ad hanc attinet, contractus emphyteuticarius consensualis dici nequit.

§. III.

Si, per triennium, aut, in ecclesiastico praedio, per biennium, canonem non soluat emphyteuta, emphyteusi priuari potest, solutionem autem factam esse, si dominus directus neget, emphyteuta probare tenetur.

§. IIII.

Si alienare praedium uelit, consensu quidem domini directi non habet opus, sed offerre tamen domino praedium debet, ob ius protimiseos, quod huic competit, intra duos menses. Hoc si neglexerit, et praedium, ignorante domino, alienauerit, ius suum amittit emphyteuta.

§. V.

Excipe tamen uenditionem, a patre, uni ex liberis, factam. Nam in hac ius protimiseos cessat.

§. VI.

Sed nec in praediis censiticis hoc ius domino competit, ex quibus nec, ob censum non solutum, possessor expelli potest, laudemium plerumque, ex utroque et censitico et emphyteutico fundo, praestari solet.



TITVLVS XI
DE
SOCIETATIBVS

§. I. *Societas quid sit, et quotuplex.*
§. II. *Lucrum aequaliter communicandum.*
§. III. *Mercatores quomodo illam contrahant.*
§. IIII. *Ad heredes non transit societas.*
§. V. *Dissoluitur dissensu communi, uel unius.*
§. VI. *Si socius bonis cessit.*
§. VII. *Qualis culpa hic praestanda, et quae actio competat.*

§. I.

Societas est contractus consensualis, de conferenda re, uel opera, et quaestu, qui inde prouenit, communicando. Versatur uel circa rem certam, aut negotium singulare, uel circa plura, uel circa omnia bona. Vnde alia societas generalissima est, alia generalis, alia specialis, alia specialissima.

§. II.

Sine lucri communicatione, societas non subsistit, nisi in uim donationis. Vt inaequalis sit diuisio, conuentione constitui potest, si nihil conuentum sit, aequis partibus lucrum diuiditur, non tamen arithmetica, sed geometrica proportione, i. e. habita ratione illatorum et operae praestitae.

§. III.

Hodie tamen mercatores plerumque aliter societatem contrahere solent. Sortem qui ampliorem intulit, ei usuras, illi, qui

qui operas praestat, salarium soluunt. Quod supereſt lucrum, id, nulla sortis, aut operarum, habita ratione, aequaliter diuidunt.

§. IIII.

Societas non transit ad heredes, ut ne pactum quidem ualeat, de societate, ad heredes transmittenda, *l. 59. l. 65. §. 9. D. pro soc.* hodie tamen pactum, ut heredes, ad certum tempus, in societate maneant, non inefficax esse, IC. Lips. et Scab. Vit. responderunt.

§. V.

Non mutuo tantum dissensu dissoluitur, sed etiam unius renunciatione, modo haec non dolose, aut in tempestiue, facta sit.

§. VI.

Qui bonis cessit, cum eo in societate persistere socius non cogitur, etiamsi operas tantum perstiterit.

§. VII.

Culpam socii leuem praestant, eamque in concreto talem. Actio pro socio, quae ex hoc contractu descendit, utrinque directa est.

TITVLVS XII
DE
MANDATO

§. I. *Mandatum quid et quotuplex.*
§. II. *Rei turpis nullum est.*
§. III. *Mandans et mandatarius punitur.*
§. IIII. *Mandati fines seruare debet mandatarius praestatque culpam leuissimam.*
§. V. *A mandato differt commendatio.*
§. VI. *Modi soluendi, et actio mandati.*

§. I.

Mandatum est contractus consensualis, de negotio honesto, gratis expediendo. Estque uel iudiciale, uel extraiudiciale, utrumque uel generale, uel speciale, generale uel cum libera, uel sine libera. Quae clausula, in mandato iudiciali, hodie inefficax esse censetur, in extraiudiciali, alienandi tribuit potestatem. Speciale uel respectu causae tale est, uel respectu potestatis.

§. II.

Rei turpis mandatum nullum est, itaque, inter mandantem et mandatarium, nulla ex eo actio oritur. Ab eo autem, qui, ex hoc mandato, damno uel iniuria affectus est, uterque conueniri potest, etiam a magistratu uterque coërceri.

§. III.

Hinc, si quis mandet, aliquem interficere, homicidio secuto, uterque et mandans

dans et mandatarius capitali ſupplicio afficitur. Sed et, ſi uulnerare tantum mandet, et mandatarius accidat, mandans quoque de caede tenetur, cum ne mandatario quidem proſit, quod uulnerandi animum tantum habuerit.

§. IIII.

Mandatarius fines mandati diligenter ſeruare tenetur. Quod ſi negligat, ne quidem negotiorum actio ei, aduerſus mandantem, datur, quin ipſe etiam, ob neglectum mandatum, conueniri poteſt. Praeſtat autem mandatarius culpam omnem, etiam leuiſſimam.

§. V.

A mandato differt commendatio et conſilium, quae non obligant, niſi doloſa ſint, aut cum ſingulari perſuaſione coniuncta.

§. VI.

Soluitur mandatum utriuſque conſenſu, aut tempeſtiua, unius etiam partis, renunciatione, morte denique tam mandantis, quam mandatarii. Actio mandati directa mandanti, contraria mandatario, datur.

TITVLVS XIII
DE
CONTRACTIBVS INNOMINATIS

§. I. *Quinam sint contractus innominati.*
§. II. *Eorum diuisio, et species.*
§. III. *Qui irregulares.*
§. IIII. *Actio inde competens.*
§. V. *Quando hodie poenitere liceat.*

§. I.

Actum est, de contractibus nominatis, sequuntur *innominati.* Ita Romanis uocabantur illi, qui certam et lege definitam formam non habebant, nec nominatam actionem producebant. Hi omnes unilaterales esse censentur, et contractus reales quodammodo imitantur.

§. II.

Diuiduntur autem, in *regulares* et *irregulares.* Regulares nec nomen habent, nec actionem sui nominis producunt. Commemorantur uulgo quatuor, do, ut des, facio, ut des, do, ut facias, facio, ut facias, sed illae species, sine negotio, augeri et multiplicari possunt.

§. III.

Irregulares nomen habent, sed non producunt sui nominis actionem, ut puta, permutatio et aestimatorius contractus. Hi bonae fidei sunt, non stricti iuris, ut reliqui

reliqui innominati. Ad nominatos contractus proxime accedunt, ad innominatos inani subtilitate referuntur.

§. IIII.

Ex omnibus contractibus innominatis, praescriptis uerbis actio datur, qua alterum, ad praestandum id, quod daturum, facturumue se esse, promisit, obstringimus, sed haec actio ei tantum datur, qui, contractui ex sua parte iam satisfecit, cui, et recedere a contractu, et poenitere, licet, ac id, quod dedit, repetere, condictione, causa data, causa non secuta.

§. V.

Hodie poenitere non licet, nec integrum est, a contractu recedere, nisi pactum legis commissoriae conuentioni sit adiectum. Nimirum, si recte rem aestimes, iura germanica ignorant contractus innominatos, et omnes illas conuentiones, ad pacta nuda referunt, ut adeo hoc iuris prudentiae romanae caput nullum amplius usum habere uideatur.

TITVLVS XIIII
DE
OBLIGATIONIBVS QVAE QVASI EX CONTRACTV ORIVNTVR

§. I. *Quaſi contractus nituntur conſenſu praeſumto.*
§. II. IVSTINIANVS *ſex ſpecies commemorat.*
§. III. *De ſingulis remiſſiue.*
§. IIII. *Actiones inde oriundae.*
§. V. *Condictio indebiti.*
§. VI. *Dantur plures quaſi contractus, ex mente* IVSTINIANI.

§. I.

Quaſi contractus conſenſu praeſumto conſtituuntur, non tacito, nam is in ueris contractibus etiam quandoque ſufficit, ſed ficto. Etenim lex, contractum intercedere, fingit, ubi nullus conſenſus, nulla conuentio adeſt.

§. II.

In inſtitutionibus, ſex ſpecies quaſi contractuum IVSTINIANVS commemorat, negotiorum geſtionem, tutelam, adminiſtrationem rerum communium, et rerum, in primis hereditariarum, hereditatis aditionem, et indebiti ſolutionem.

§. III.

De tutela *lib. 1.* actum eſt, negotiorum geſtio prope ad mandatum accedit, negotiorum geſtor perinde, ut mandatarius, culpam leuiſſimam praeſtat, *l. 21. C. mandat. §. 1. Inſtit. h.*

§. IIII.

Ex adminiſtratione rerum communium actio

actio communi diuidundo, ex administratione communis hereditatis, familiae herciscundae actio, oritur. Hereditatis aditio comprehendit quasi contractum agnitae ultimae uoluntatis, actio, quae inde descendit, actio ex testamento dicitur.

§. V.

Condictio indebiti datur ei, qui, per errorem facti, aliquid soluit. Hic errorem suum probare tenetur, indebitum non probat, licet doctores uulgo ita tradant.

§. VI.

Praeter hos, alios quasi contractus dari, dubio caret, numerum eorum inire difficile est. Nam pleraeque actiones, quarum causae ignorantur, ad quasi contractus referri solent. IVSTINIANI exemplo, qui, ubi nec conuentio, nec delictum, adest, aequitas tamen aliquem, ad praestandum quid, obstringit, quasi contractum intercedere, tradit. Huc pertinent datio sine causa, litis contestatio, receptio rerum in nauim, cauponam, uel stabulum, illatarum etc. condictio, causa data, causa non secuta, furtiua condictio, a quibusdam huc etiam refertur, sed id iuris romani principiis minus conuenire uidetur.

LIBER

LIBER IIII
DE
DELICTIS
TITVLVS I
DE
DELICTIS IN GENERE

§. I. *Delictum quid sit, diuiditur 1) in uerum et quasi.*
§. II. *Quasi delictum culpa committitur.*
§. III. *Censura iuris romani.*
§. IIII. *2) Delicta sunt uel publica, uel priuata, uel hodie mixta.*
§. V. *Priuata sunt ordinaria, uel extraordinaria.*
§. VI. *De singulis sigillatim postea dicendum.*

§. I.

Delictum est', factum illicitum, siue contra leges admissum. Diuiditur 1) in uerum, et quasi delictum. Verum delictum dicitur, quod dolo malo, quasi delictum, quod culpa, eademque ut plurimum imputata, committitur.

§. II.

Dixi, ut plurimum imputata. Non diffiteor tamen, culpam propriam concurrere, quae efficit, ut, in quasi delictis, quis per imprudentiam deliquisse dicatur.

§. III.

Romanorum ICtorum non accurata satis, in hoc argumento, philosophia est. Nam

Nam damnum, etiam leuissima culpa datum, ad uera delicta referunt, cum factum iudicis, male iudicantis, quasi delictis annumerent.

§. IIII.

Deinde delicta uel *publica* sunt, uel *priuata*. *Publica*, in quae res publica ex officio, boni publici causa, animaduertit. *Priuata*, quae priuatorum persecutioni relinquit, addi hodie possunt *mixta* delicta. Pleraque enim priuata delicta iure hodierno, quod ad poenam attinet, etiam publica dici possunt.

§. V.

Priuata diuiduntur, in ordinaria et extraordinaria. In illis priuati, qui laesi sunt, ciuiliter agunt, in his criminaliter, i. e. ad poenam extraordinariam, delinquenti inferendam. Verum hac diuisione forte hodie carere possumus, cum extraordinaria delicta a publicis uix amplius differant.

§. VI.

Sed de singulis plenius agendum est. Dicemus primum, de delictis priuatis, iisdemque ordinariis, deinde extraordinariis, tandem de publicis. Sed de singulis, paucis, pro instituti ratione.

TITV-

TITVLVS II

DE

F V R T O

§. I. *Furtum priuatum, hodie uero mixtum delictum est.*
§. II. *Actio priuata ex furto.*
§. III. *Furtum manifestum.*
§. IIII. *Poena furti nioleuti.*
§. V. *Simplex magnum est, uel paruum.*
§. VI. *Quomodo utrumque puniatur.*
§. VII. *Iure communi in primum, secundum et tertium diuiditur.*
§. VIII. *De quantitate furti dubia eiusque inter fures distributione, et excubiis actis.*
§. VIIII. *Quando poena capitalis cesset in simplici.*
§. X. *A fustigatione non liberat restitutio, sed poena corporis afflictiua liberat a restitutione.*

§. I.

Furtum est delictum priuatum, quo res aliena mobilis, inuito domino, lucri causa, auffertur. Hodie mixtum dici potest, nam et publicum et priuatum est.

§. II.

Quatenus priuatum est, actio ex eo priuato, qui laesus est, datur, condictio nimirum furtiua et furti actio. Condictio etiam aduersus heredes furis datur. Actio furti, in actionem furti manifesti, et non manifesti, diuiditur. Illa in quadruplum, haec in duplum, datur, utraque mere poenalis est.

§. III.

Dicitur autem manifestum, in quo fur deprehenditur, cum re furtiua, ante, quam

quam eo peruenerit, quo rem deferre destinauerat. Visio sola non sufficit, nisi cum conatu apprehendendi et persequendi furem, coniuncta fuerit.

§. IIII.

Quod ad poenam criminalem attinet, furtum aliud *uiolentum*, aliud *simplex* est. Violentum capite punitur, nulla quantitatis habita ratione, neque ab eo supplicio restitutio liberat. Dicitur autem *uiolentum*, quod, cum armis, effractione uiolenta, commissum est. O. C. a. 159.

§. V.

Simplex est, uel magnum, uel paruum. Magnum dicitur, quod 5. aureos excedit, paruum, quod 5. aureos non excedit. Quod si 5. aurei ablati sunt, usu fori, id paruo furto accensemus.

§. VI.

Punitur autem, iure saxonico, furtum magnum laqueo, paruum, si dimidium dictae quantitatis excedat, fustigatione, alias relegatione perpetua, aut temporali, uel carcere etiam, pro circumstantiarum ratione.

§. VII.

Iure communi, distinguitur furtum, in primum, secundum et tertium. Ac in primo non facile capitalis poena obtinet, licet sit magnum. In tertio contra, licet paruum illud sit, fur, sine discrimine, suspenditur.

§. VIII.

Quoties, de quantitate rei ablatae, disceptatur, non respicimus, quantum lucri quis perceperit, sed, quantum damni alter passus sit. Ac rei ablatae pretium, inter plures correos, ex aequo diuidimus, licet illi inaequaliter lucrum fuerint partiti. Hi contra, qui auxilium tantum furi praestiterunt, aut excubias egerunt, non suspenduntur, nisi plus quam 5. aureos ipsi acceperint.

§. IX.

Cessat poena capitalis, in furto simplici, ob restitutionem, aut remissionem domini, ob doli defectum, aetatemque impuberem, ac alias causas, quae in Iurisprudentia criminali latius exponuntur.

§. X.

Contra a fustigatione restitutio non liberat, imo, qui fustigatur, rem ablatam resti-

restituere non tenetur. Neque enim conueniri, apud Saxones, regulariter ciuili actione potest, qui, ob furtum, capitali, aut ea, quae corpus affligat, poena coërcetur.

TITVLVS III.
DE
RAPINA

§. I. *Rapina quid sit et qualis actio inde oriatur.*
§. II. *De eo, qui rem propriam abstulit.*
§. III. *Poena publica rapinae, cum aut sine homicidio, commissae.*

§. I.

Rapina est rei mobilis uiolenta ablatio. Haec quoque in manifestum et non manifestum diuiditur. Actio, quae inde oritur, de ui bonorum raptorum dicitur, quae in quadruplum datur, sed mixta est, i. e. rei aestimationem continet, ut, si rapina manifesta fuerit, satius sit, de furto, quam ex rapto, agere, ut tantum, in rapina non manifesta, haec actio usum habere uideatur.

§. II.

Is, qui rem propriam possessori ui aufert, dominium, uel ius suum, amittit, quod si, rem alienam suam esse, crediderit, et rem restituere, et aestimationem praestare, compellitur, ex edicto

D. MARCI. Quam poenam *Rec. Imp. d. ann. 1721. §. 2.* renouauit. Saxonico iure, 30 solidorum multam dictari, edictumque illud cessare, CARPZOVIVS contendit, *P. 4. C. 35. d. 11.* Sed Collegia Iuridica Vitembergensia ab illa sententia dudum discesserunt.

§. III.

Hodie rapina, quae, cum uiolatione securitatis publicae, commissa est, pro publico delicto habetur, et gladio coërcetur, nulla habita restitutionis quantitatisue ratione, latrones, ob homicidium, rapinae causa commissum, rota contunduntur.

TITVLVS IIII
DE
LEGE AQVILIA

§. I. *De lege aquilia, autore et capitibus eius.*
§. II. *Quali culpa damnum datum esse oporteat.*
§. III. *Quodsi infans, aut furiosus dederit.*
§. IIII. *Haec actio an detur contra heredes.*
§. V. *Quotuplex illa sit.*

§. I.

Damnum datum *lex Aquilia* coërcet. Plebiscitum, Aquilio autore, conditum. Eius tria fuerunt capita. Secundi sententiam ignoramus. Quae inter primum

mum et tertium, quoad praestandam aestimationem, intercedit diuersitas, hodie non attenditur, cum mere persecutoria sit [a] haec actio, ut nosse sufficiat, ob qualecunque damnum, hanc actionem dari, ad praestationem eius consequendam.

a) Scilicet extra casum inficiationis.

§. II.

Dixi, ob qualecunque damnum. Neque enim interest, an dolo, an culpa, siue lata, siue leui, siue etiam leuissima, illud datum fuerit. Quod de culpa, extra contractum admissa, capiendum est. Neque enim, qui, ui contractus, latam tantum, aut leuem, praestare tenetur, ob leuissimam, legis aquiliae actione conueniri potest.

§. III.

Si furiosus, si infans, damnum dedit, haec actio locum non habet, *l. 5. §. 2. D. ad leg. Aquil.* cum tamen, si quadrupes pauperiem fecerit, actio aduersus dominum competat. Iure saxonico, infantem, homicidio culposo commisso, wehrgeldum praestare teneri, ex Land-R. *L. 2. a. 65.* sunt, qui colligunt. Sed usus fori principiis romani iuris insistit, infantemque ab omni aestimatione damni libe-

rat. Ita Scab. Vitemb. m. sept. 1709. responderunt.

§. IIII.

Contra heredes, actionem hanc dari, negat TRIBONIANVS, *§. 9. instit. h.* quia ex delicto oritur, hodie aliud obtinere et heredem quoque conueniri posse, arg. *C. 5. X. d. raptor.* responderunt iidem Scab. Vitemb. ao. 1711. adeo immutata est actionis huius indoles, ut parum absit, quin, laruam eius tantum supersse, cum Illustri THOMASIO, dicamus.

§. V.

Actionem legis Aquiliae aliam directam, aliam utilem, aliam in factum esse, ait IMPERATOR, *§. ult. I. h.* sed actionem in factum, quae ab utili differat, uix ipsi ICti Romani, puto, admiserint, et hodie certissimum est, subtilitates huius diuisionis nullius esse utilitatis.

TITVLVS V

DE

INIVRIA

§. I. *Iniuria hodie publicum, aut mixtum est delictum.*
§. II. *Est uel realis, uel uerbalis, de famoso libello eiusque poena.*
§. III. *Iniuria requirit dolum et animum iniuriandi.*
§. IIII. *De iniuria, liberis uxori, sponsae, illata.*
§. V. *De remediis contra iniuriam.*
§. VI. *Quomodo tollatur iniuriarum actio.*

§. I.

§. I.

Iniuria est delictum, dolo, in alterius contumeliam, commissum. Vltimo loco, inter delicta priuata, a IVSTINIANO commemoratur, sed hodie quandoque publicum, uel mixtum, dici potest, in primis, quatenus apud nos, *Regio Mandato*, *de uindicta*, notatur.

§. II.

Diuiditur in realem et uerbalem. Verbalis in uerbalem in specie et in scriptam. Scripta, si famosum crimen alicui obiectum fuerit, et autoris nomen dissimulatum, *libellus famosus* dicitur. Quod crimen poena talionis, *Ord. Crim. art. 110.* et *P. 4. C. 44.* coërcent. Sed raro ad capitalem poenam hodie extenditur, nec obtinet in eo, qui non scripsit, sed propalauit iniuriam, qui poenitentiam statim declarauit, et, qui ueritatem criminis obiecti probat. Hi enim arbitraria poena coërcentur.

§. III.

Iniuria, sine dolo et animo iniuriandi, non committitur. Hic uero non praesumitur in iudice, clerico, patre, marito, domino, nisi ipsum factum iniuriam contineat atrocem.

§. IIII.

Iniuria, liberis, uxori, ſponſae, illata, etiam ad maritum, ſponſum, parentes, pertinet. Vnde his quoque iniuriarum actio datur, non tamen hodie facile ſocero. Quoties huiuſmodi perſonae agunt, iuramentum, ſuper exceptione ueritatis, non ipſis modo, ſed illis quoque, quibus iniuria principaliter illata eſt, deferri poteſt.

§. V.

Aduerſus iniuriam, uaria remedia LL. ſuppeditant, 1) aeſtimatoriam actionem, ſed haec iure magdeburgico aeque, ac ſaxonico, ſublata eſt, 2) retorſionem, quae ad iniurias uerbales pertinet, et *Nouiſſ. Mandato Reg.* perinde improbatur, 3) actionem ad palinodiam, deprecationem, uel declarationem honoris, pro grauitate iniuriae, 4) poenam extraordinariam, quae priuatam perſecutionem non tollit.

§. VI.

Tollitur iniuriarum actio morte, tam eius, qui iniuriam intulit, quam illius, cui illata eſt, modo ante litis cont. deceſſerit, remiſſione expreſſa et tacita, et in primis praeſcriptione. Praeſcribuntur autem, iure ſaxonico, leuiores iniuriae, anno, grauiores, intra 31. annos, 6. ſept. et 3.

et 3. dies, uindicari possunt, quo tempore etiam libelli famosi poena tollitur. Plane in quibusdam iniuriis, per *Nouiss. Mandatum, de duellis*, omnis sublata praescriptio esse uidetur.

TITVLVS VI
DE
QVASI DELICTIS NOXA ET PAVPERIE

§. I. *Quasi delicta culpa committuntur.*
§. II. *A Iudice male iudicante.*
§. III. *Deiectione, effusione, posito, suspenso.*
§. IIII. *Quando a caupone.*
§. V. *Acceptione ob turpem causam non committitur quasi delictum.*
§. VI. *De noxa et pauperie.*
§. VII. *Actiones hae in rem scriptae sunt.*
§. VIII. *Differentia iur. sax. et comm.*

§. I.

Quasi delicta, sine dolo, committuntur, sine culpa, non aeque. Nam alienum factum quidem hic, sed, propter propriam plerumque culpam, imputatur.

§. II.

Huc refert IVSTINIANVS, 1) factum iudicis, per imprudentiam, male iudicantis, qui actione in factum conueniri potest, ad praestandum id, quod interest.

§. III.

2) Damnum, deiectione, uel effusione, datum, ex quo inhabitator tenetur, 3) posi-

tionem, uel suspensionem periculosam. Ex his quae oriuntur actiones, hodie exiguum habere usum uidentur. Atque, in Saxonia, in primis, homine libero, per eiectionem occiso, inhabitator wehrgeldi praestatione liberandus uidetur, nec ad poenam 50. aureorum soluendam adstringendus.

§. IIII.

4) Denique ex furto, damnoue, in caupona dato, exercitor tenetur, si id factum fuerit ab illis, quorum opera utitur. Haec ad duplum olim dabatur, hodie forte tantum in simplum.

§. V.

Acceptio, ob turpem causam, huc referri nequit, nam condictio, quae inde oritur, aduersum haeredes datur. Vnde ad quasi contractum rectius alii eam referunt, alii contra etiam ad uera delicta.

§. VI.

Noxa est damnum, a seruo datum. Quod ab animali datur, pauperies uocatur. In utroque casu dominus, aut seruum, uel animal, tradere, aut damnum praestare, cogitur.

§. VII.

Sunt autem illae actiones in rem scriptae, unde dominus, qui animal, uel seruum,

uum, tempore motae actionis, possidet, conueniri potest.

§. VIII.

Inter ius saxonicum et commune haec differentia obtinet, quod illo electio domino non competat, actione de pauperie instituta, sed ille, nisi animal statim abigat, postea damni aestimationem simpliciter praestare compellatur.

TITVLVS VII
DE
EXTRAORDINARIIS DELICTIS

§. I. *Extraordinaria delicta quomodo differant ab aliis.*
§. II. *Hodie a publicis uix differunt.*
§. III. *Quod sigillatim de non nullis probatur.*
§. IIII. *De singulis remissiue.*

§. I.

Extraordinaria delicta dicuntur, quae extra ordinem, arbitrio iudicis, coërcentur. A priuatis differunt, quia priuato ex iis nulla datur actio, ad poenam ciuilem, a publicis, quia lege publica non sunt notata.

§. II.

Hodie delicta extraordinaria a publicis uix differre, parum abest, quin sentiam. Nam

Nam et poenae plerorumque extraordinariorum criminum lege definitae sunt, et ordinationes criminales haec non minus, quam illa, quae ius romanum publica uocat, notarunt.

§. III.

Ita nescio, cur expositio infantis, procuratio abortus, crimen directariatus et sacculariorum, extraordinarium dici debeat, cur, stellionatum a falso differre, putemus, cur iniuria, fimo uel luto facta, in aliam classem referri debeat, quam ceterae iniuriae, cum hodie tantum non semper arbitrarie in eos iudex animaduertat, qui alios iniuria affecerunt.

§. IIII.

Singula, quae huc referuntur, delicta, in Pandectis exponuntur, et pleniſſime recenſet BERGERVS, *Oeconom. Lib. III. Tit. X.* Quibus omiſſis, progredior ad delicta publica.

TITV-

TITVLVS VIII
DE
PVBLICIS DELICTIS

§. I. *De iurisprudentia criminali summatim et de classibus delictorum.*
§. II. *Delictum publicum quid sit.*
§. III. *De accusatoribus et denuntiantibus.*
§. IIII. *De crimine laesae maiestatis.*
§. V. *De delictis carnis.*
§. VI. *et* VII. *De homicidiis.*
§. VIII. *De falso et falsa moneta.*
§. VIIII. *De ui publica et priuata.*
§. X. *De plagio, peculatu, residuo, sacrilegio.*
§. XI. *De ambitu, repetundarum et annonae crimine.*
§. XII. *Cur plura hic de criminibus, et processu iudiciario non sint dicta.*

§. I.

Hic titulus iusti libri materiam continet, et iurisprudentiae criminalis principia exhibet, DD. plerique etiam processus criminalis summa capita suo loco exponunt. Sed satius est, doctrinam, de criminibus, separatim tradere. Itaque IVSTINIANVM sequar, et indicabo tantum classes delictorum, singulorum criminum poenas alio loco tradam.

§. II.

Dicitur delictum publicum, quod lege publica notatum est, et ex quo quilibet ex populo agere et delinquentem accusare potest.

§. III.

Hodie uix quisquam accusatoris partes suscipit, nisi, ubi praemia accusatoribus pro-

proponuntur, aut munus publicum alicui eam neceſſitatem imponit. Denunciationes non infrequentes ſunt, cum denunciantes onus accuſationis haud ſubeant, nec probare, quae nunciarunt, teneantur. Sed et, abſque denunciatione praeuia, iudici, ex officio licet, et tantum non incumbit.

§. IIII.

Primo loco IVSTINIANVS *legis Iuliae* meminit, eius, quae crimen laeſae maieſtatis coërcet. Hoc crimen in perduellionis et maieſtatis, in ſpecie ita dictum, diuiditur. Illud capite, hoc arbitrarie, punitur. Diuidunt alii crimen maieſtatis in id, quo Deus, et quo Res publica, laeditur. Sed de blaſphemia lex Iulia non cauet.

§. V.

Alia lex Iulia dilicta carnis coërcet, ſtuprum, adulterium et ſodomiam. Stuprum mitius hodie, quam iure iuſtinianeo, punitur, adulterii non ubique eadem eſt poena. Ius rom. mariti, cum ſoluta, concubitum ad ſtuprum refert, hodiernum ius ad adulterium. Sodomia alia propria, alia impropria eſt. Bigamia, inceſtus, ſunt adulteria, uel ſtupra qualificata.

§. VI.

§. VI.

Sequitur lex Cornelia, de sicariis et homicidis, homicidium, parricidium, uenefícium latrociniumque, complectitur. Poenam eius iuris diuini et quidem uniuersalis esse, plerique putant. Quo admisso, sequitur, nec praescriptioni, nec dispensationi, in eo esse locum.

§. VII.

Poena homicidii est gladius, parricidii, proprie sic dicti, culeus, latrocinii et ueneficii rota. Ad ueneficium magiam referunt, quod crimen ignis supplicio coërcetur.

§. VIII.

Falsum quoque lege Cornelia notatum est. Arbitrarie punitur. Saepius fustigatione, imo quandoque etiam capitali. Isti, qui falsam monetam cudunt, grauissima ignis poena afficiuntur.

§ VIIII.

Vis, tam publica, quam priuata, arbitrarie coërcetur. Crimen fractae pacis publicae capitali poena, qua et raptor punitur, nisi hodie rapta ei nubat.

§. X.

Plagium capitale crimen est, sed infrequens apud nos. Peculatus ut furtum, punitur.

punitur. Reſiduum *nouiſſimum Mandatum Regium*, Vom anvertrauten Guth, grauiſſima animaduerſione perſequitur. Sacrilegi rota contunduntur, quae poena in proprio tantum ſacrilegio locum habet, improprium perinde, ac alia furta, punitur.

§. XI.

Ambitus et repetundarum crimen arbitrarie coërcetur. Crimen annonae defraudatae leges prouinciales plerarumque prouinciarum notant.

§. XII.

Atque haec, exempli loco, IVSTINIANVS crimina propoſuit, cetera in Digeſtis et Iuriſprudentia Criminali traduntur. Itaque hic, cum IVSTINIANO, ſubſiſto. Actionum etiam, et uniuerſi proceſſus iudiciarii, rationes alibi expoſui, ex inſtituto.

INDEX RERVM

NVMERVS ARABICVS PAGINAM INDICAT
ROMANVS PARAGRAPHVM.

A

Acceptio ob turpem causam an sit quasi delictum? 266. V
Accessio quotuplex? 88. XX
- naturalis 88 XX-XXVIII
- fortuita 96. XLVII
Accessionis artificialis seu industrialis species 90. XXIX
- - mixtae 94. XLIV
Actio humana iusta quae? 10. XXIV
Actus qualis seruitus? 130. V
Adiunctio modus acquirendi 92. XXXIIII. seqq.
Adoptans non succedit ab intestato 45. VI
Adoptantis aetas 46. IX
Adoptio quid? 44. I
- plena quae? 45. IV
- - tribuit patriam potestatem 44. II, 45. IV
- - et adoptato ius succedendi ab intestato 46. VII
- minus plena quae? 45. V
Adoptiui fratres an succedant ab intestato 197. XXIX
Aeris usus ad quem pertineat? 75. VIII
Affinitas quae nuptias impediat? 37. XXI. 38. XXIII
Agnati qui dicantur? 23. XI
Albinagii ius quid? 20. IV
Alienandi ius cui competat et quibus non? 115. III. seqq.
Alluuio quid? 88. XXII
Alueus derelictus ad quem pertineat? 90. XXVI. seqq.
Ambitus crimen 272. XI
Animalia mansueta 87. XVI

Annonae defraudatae crimen quo modo puniatur? 272. XI
Appulsio quid? 89. XXIII
Aquae ductus et hauſtus ſeruitutes 130. VII
Arrogatio 44. II
– quale ius tribuat? 113. XVIII
– requiſita eius 44. II
Arrogatus an exheredari poſſit? 46. VIII
Aſcendentes ab inteſtato ſuccedunt 191. XIII

B

Banniti differunt a relegatis 20. V
Beneficium excuſſionis ſeu ordinis quid? 234. V
– diuiſionis 234. VI
Beſtias feras an occupare liceat? 75. VIII. 85. XII. ſeqq.
Bona domanialia quando uſucapiantur? 102. IX
Bona fides requiritur ad uſucapionem 99. III

C

Capitis deminutio quid? 48. I
– quotuplex? 48. 49. II. III. IV
– ius uetus circa eam 50. VI
– ius hodiernum 50. VII
Captiuitas quid? 87. XVII
Caput quid ICtis? 48. I
Caſtratinum poſſint adoptare? 46. IX
Caſus fortuitus a quo praeſtandus? 220. XV. 221. XVII
Ciues Imperii mediati et immediati 19. XI
Ciuitate qui a Romanis donati? 19. I
Ciuitatis ius in imperio R. duplex 19. II
Coalitio quid? 89. XXIII
Codicillaris clauſula quid? 172. V
– quando adiicienda? 172. V
– eius effectus 173. VI
Codicilli 171. V
– quotuplices? 171. II
– heres in illis non poteſt inſtitui? 171. I
– an rumpant teſtamentum uel per id rumpantur ipſi 172. IV
– teſtes quot requirant? 171. III
Cognati qui dicantur? 23. XI. 33. XI
– nuptias inter ſe contrahere prohibentur 33. XI
– proximi et remoti quando ſuccedant ab inteſtato? 198. XXXI. XXXII
Cognatio quotuplex? 34. XI
– ciuilis num impediat nuptias? 34. XIII
– an canonica? 34. XII

Collaterales quando succedant ab intestato? 192. XVI. 194. XXI. seqq.
Collegia quando ab intestato succedant? 200. XXXVI
Commixtio species adiunctionis 92. XXXVI
Commodans quam praestet culpam? 229. V
Commodatarius quam praestet? 229. III. IV
Commodatum quid? 228. I
- qualis eius usus? 228. II
Conditio impossibilis in testamento quid efficiat? 153. VIII. seqq.
- possibilis potestatiua quando locum inueniat? 154. XI. 155. XII
Conductor quam culpam praestet? 243. VIII
- quando ante tempus queat discedere? 242. V
- - - expelli? 242. IV. VI
Confusio species adiunctionis 92. XXXVI
Consensus requiritur ad contractum 216. III
Constitutiones principum 6. X. 7. XIII
Consuetudines num habeant uim iuris? 10. XXII
Contrahere qui possint, qui minus? 215. I. II
Contractus in genere num differat a pacto? 209. II
- - quid? 210. IV
- - quotuplex? 212. X
- substantialia 216. IV
- naturalia 217. V
- accidentalia 217. VI
- chirographarius num detur? 227. XIV
- consensuales qui? 239. I
- innominati qui? 250. I
- - quotuplices? 250. II
- - actiones quae ex his? 251. IV
- uerbales num hodie dentur? 236. I
- uerus quotuplex? 212. XI. 213. XII. seqq.
Culpa quid et quotuplex? 218. VIII
- quae praestandae et a quibus? 218. IX. seqq.
- lata a quo praestanda? 219. XII.
- leuis quid? 220. XIII
Curatores quando dandi? 67. XXXIX

D

Damnum, quis in contractu praestare debeat? 218. VII
Delicta carnis quo modo puniantur? 270. V
- extraordinaria quae?
- - priuata num differant? 267. I
- - num publica? 267. II
- - species eorum 268. III.
Delictum priuatum quotuplex? 255. V

Delictum publicum quid? 269. II
- quid et quotuplex? 254. I. 255. IV
Depositum quid et quotuplex? 230. VI
- negatio miserabilis quomodo punienda? 231. IX
- num hoc uti liceat depositario? 230. VIII
Descendentes succedunt ab int. 178. II. seqq.
Dimittere quis possit? 18. XXI
Diuisionis beneficium quid? 234. VI
Diuortii causae legitimae 39. XXVIII. seqq.
Dolus quid? 218. VII
Dominium quid? 81. I
- quotuplex? 81. II. III
- rerum quibus modis acquiratur? 82-84
Dominii ius quid? 114. I
Donatio quid et quotuplex? 105. II
- num modus acquirendi? 104. I
- mortis causa num possit reuocari? 105. IV
- - requisita eius ib.
- propter nuptias quid? 111. XV
- quo modo differat a legato et fideicommisso? 106. V
- inter uiuos conuentionalis quid producat? 106. VI
- realis quando actis insinuanda? 107. VII
- - quando non? 107. VIII
- - quando possit reuocari? 108. IX
- - quid requirat? 107. VI
- - quotuplex sit? 107. VII
- relata et remuneratoria 110. XIII
- inofficiosa quando reuocari queat? 110. XII
Dos quid et quotuplex? 111. XIV
Dotalia bona num ab uxore possint alienari? 115. VI
Dotalitium quid? 112. XVII
Dotis dominium ad quem iure sax. pertineat? 111. XIV

E

Edicta magistratuum 6. X
- praetorum et aedilium Rom. 6. XI
Emancipatio quotuplici modo contingat? 15. VIII. seqq.
Emphyteusis quid? 244. I
- num ad eam scriptura requiratur? 244. II
- quando soluatur? 244. III
Emtio uenditio quid? 239. II
- requirit pretium iustum 239. III
- differt a permutatione 239. II

- pacta illi adiici solita quae? 240. VI
Exceptio non numeratae pecuniae quando admittenda? 225. XI. seqq.
Excusatio a tutela 59
- ius circa eam hodiernum 62. XXV
- - Rom. 62. XXIV
Excussionis seu ordinis beneficium quid? 234. V
Exheredatio quid? 159. I
- causae eius legitimae et minus legitimae 162. VIII. seqq.
- - debent exprimi 164. XIV
- quae circa eam actiones? 166. XX. seq.

F

Falcidia lege num tollatur legatum? 183. XXXI. sqq.
- eadem lex quando cesset? 184. XXXV
Falsum quo modo puniendum? 271. VIII
Familiae ius 19
Feudum ecclesiae quando usucapiatur? 101. VII
Fideicommissum quid et quotuplex? 175. II
- quo modo differat a legato? 175. III
- num testes requirat? 184. XXXVI
- quo modo probandum? 184. XXXVI
Fideiussio quid requirat? 233. II
- quo modo fiat? 235. IX
Fideiussor indemnitatis quis? 234. IV
- quae illi dentur actiones? 235. VIII
- quis? 233. I
- differt ab expromissore 233. III
- succedaneus quis? 234. IV
Fideiussori num detur cedendarum actionum exceptio? 235. VII
Filiifamilias qui? 22. X
- num ex mutuo naturaliter obligentur? 224. VIII
Fiscus succedit ab intestato 200. XXXVII
Fluminum usus ad quem pertineat? 75. VIII
Foetura quid? 88. XXI
Fratres eorumque liberi quando et quo modo ab intestato succedant? 193. XVII. 194. XXI. seqq.
- adoptiui an succedant ab intestato? 197. XXIX
Fratris sponsam num et quando ducere liceat? 37. XXII
Fructus quotuplices? 95. XLVI
- quis percipiat? 95. XLV
Fundum dotalem an maritus alienare queat? 116. VIII
Furtum manifestum quid? 256 III.
- quae hinc actiones? 256. II

Furtum quibus modis puniatur? 257. VI. seqq.
- quid et quotuplex? 256. I. 257. IV
- simplex quid? 257. V
- uiolentum quid? 257. IV

G

Gerada cui competat? 201. XXXVIII
Gradus prohibiti et non prohibiti in contrah. nuptiis 36. XVIII. seqq.

H

Habitatio quid? 136. XXII
- quando pereat? 136. XXIII
Heergewetta ad quem pertineat? 201. XXXVIII
Heredis institutio 151. I
- quotuplex? 153. VII
- substitutio quid? 156. I
- obligatio 203. IV
Hereditarium ius quid et quotuplex? 143. I
Hereditatis pars, uno deficiente ex pluribus, cui accrescat? 152. VI
- partes quot? 152. IV
- acquisitio et omissio quid et quot.? 202. I. II
Heres extraneus quis? 155. XIV
- - sub qua conditione institui queat? 154. XI
- - quando hereditatem acquirat et ad quos transmittat? 203. III
- in re singulari 152. V
- necessarius quis? 155. XIV
- quis possit institui? 151. II. seq.
- quot institui heredes possint? 152. IV
- suus quis? 155. XIV
- - sub qua conditione possit institui? 154. XI
Homicidae quo modo puniantur? 271. VII
Homines proprii differunt a seruis romanis 18. XX
Hypotheca quid? 125. I
- quotuplex? 125. II. 126. IV
- tacita num ualida? 126. III
- conuentionalis an legitima? 126. V
- extraiudicialis num ualida? 125. III
- actio qualis exinde? 127. VII

I

Illegitimi a principe restituendi 41. I. seqq.
Inaedificatio est modus acquirendi 93. XL. seqq.
Incestus poena 38. XXIV
Ingenui qui? 15. IX
- manent christiani a barbaris capti 17. XVIII.
Iniuria quid? 263. I
- quotuplex? 263. II
- num committatur sine animo iniuriandi et dolo? 263. III

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0290
DFG

Iniuria, actio quibus inde competat? 264. IV
- remedia contra eam 264. V
- quando tollatur et praescribatur? 264. VI
Insulae quibus cedant? 89. XXIV. et XXV
Interdictum Vtrubi et Vti possidetis? 124. IX
Interpretatio legum in genere quid? 11. XXVI
- regulae eiusdem, hermeneuticae dictae 11. XXVII. XXVIII
- usualis quid? 12. XXX
- authentica quid? 11. XXIX
Inuentio 87. XIX
Iter quid? 129. IV
Iura coniugum eorumque limites 38. XXV. seqq.
- manumittentium in libertos 17. XXIII
de Iure et Iurisprudentia in genere 3
- familiae 19
- personarum 13
- rerum 72
Iuris peritus quis? 10. XXIII
Iurisprudentiae romano-germanicae naeui unde? 9. XIX. seqq.
- origo 9. XIX
Iuris sui uel alieni homines 53. I
- est uinculum 206. V
Ius ad rem quid? 205. I
- allinagii quid sit? 20. VI
Ius alienandi cui competat, et quibus non? 115. III. seqq.
- baiuuariorum 7. XIV
- canonicum 8. XVIII
- ciuile quid? 5. IX
- - uniuersale 4.
- ciuium a Romanis quibus concessum? 19. I
- diuinum particulare 4. VII
- - positiuum quid? 4. VI
- - quotuplex? 4. III
- dominii quid? 114. I
- francicum seu salicum 7. XIV
- gentium 6. IX
- hereditarium quid et quotuplex? 143. I
- humanum 5. IX
- in re num in LL. ita dicatur? 78. I
- - quales hinc actiones? 78. II.
- - quid? ibid.
- - quot eius species? 79. III. IV
- iustinianaeum 8. XVIII
- legitimandi cui competat? 41. I. seqq.
- longobardicum 8. XVIII
- naturae 4. V
- pascendi 131. VIII
- priuatum 4. V
- publicum uniuersale ib.
- quid? 3. I
- quotuplex? 4. II. seqq.
- saxonicum feudale 8. XV
- - uetus 7. XIV

Ius Flauicum 8. XV
- Sueuicum siue alemannicum 7. XIV
- uniuersale quid et quotuplex? 4. IV
Iustitia quid? 10. XXIV
- quotuplex? 10. XXV
Iustus quis? 10. XXIII

L

Laesae maiestatis crimen quomodo puniatur? 270. IV
Latrocinium quo modo puniatur? 271. VII
Legatum a creditore debitori debitum 177. X
- quid si creditori a debitore? 177. XI
- si eadem res a duobus legetur? 176. VIII
- quae res possint legari? 175. IV
- - num fructus nascituri? 177. IX
- - num heredis res et aliena? 175. V
- - num legatarii? 176. VI
- - num oppignorata? 176. VII
- quas actiones det? 180. XXII. XXIII
- dotis quando peti possit? 178. XIII. XIIII
- an error commissus in testamento uitiet? 179. XVIII. XIX
- quibus modis extinguatur? 181. XXV. seqq.
- facti 178. XV
- a fideicommisso quo modo differat? 175. III
- generis 178. XVI
- - optimum eligi num possit? 179. XVII
- sub modo et conditione relictum 179. XX
- quid? 174. I
- quando uindicari queat? 180. XXIV
Leges Germanorum domesticae particulares 7. XIV
- - uniuersales 8. XVI
- - exoticae 8. XVI
- - particulares in genere 7. XII
- - uniuersales ibid.
- perpetuae 4. VI
- temporariae ibid.
- Iudaeorum ciuiles 5. VII
- - ecclesiasticae ib.
- - priuatae et publicae 5. VIII
- - typicae ibid.
- - quatenus nos obstringant? ibid.
- Romanorum regiae 6. XI
Legitima quid? 160. II
- quibus debeatur? 160. III
- quantitas eius 160. IV
- sub quo titulo relinquenda? 161. VI
- quae detur heredi actio intuitu eius? 162. VII
Legitimandi ius cui competat? 41. I. seqq.
Legitimati quatenus succedant ab intestato? 197. XXVIII

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0292
DFG

Legitimatio 41
- eius effectus 43. V
Legum interpretatio, uide — interpretatio.
Lex Aquilia, actio competens ex ea 261. II
- - quotuplex haec actio? 262. V
- - capita eius quot? 260, I
- - eius autor ibid.
- - conueniri num ex ea possint infans et furiosus? 261. III
- - - num heredes? 262. IV
- Cornelia 271. VI
- Iulia 270. IV
- naturae 4. V
- - quid comprehendat ib.
Liberi legitimi et illegitimi quinam? 14. V. 30. I. 41. I
- quomodo ratione legitimae computandi? 161. V
Liberi homines 13
Liberis legitimis et legitimatis num et quatenus succedant parentes? 193. XIX. XX
Libertas quid? 15. VIII
Libertus ingratus in seruitutem reuocari poterat 17. XV
Locatio conductio quid? 241. I
- operae honestioris q... 241. II
- quae inde actio? 243. VII

M

Mandatum quid et quotuplex? 248. I
- rei turpis nullum 248. II
- - quomodo puniatur? 249. III
- exacte expediendum a mandatario 249. IV
- a commendatione et consilio differt 249. V
- quando soluatur et quae hinc actio? 249. VI
Manumissi 16. XIII
Manumissio quid? 16. XII
- licita 17. XV
- illicita 17. XVI
Maris usus cui competat? 75. VIII
Maritus quid ex hereditate uxoris acquirat? 199. XXXV
Matrimonium inter quas personas prohibitum sit? 34. XIV. seqq.
- subsequens num legitimationi liberorum sufficiat? 41. II
Methodus iustinianea cur retinenda? 12. XXXI
Mora num praestanda? 221. XVI
Mutuum quid? 222. I
- dare qui possint et accipere, uel non? 223. IV
- probari quo modo debeat? 225. X
- - num sola confessione debitoris? ibid.
- actio quae inde detur? 227. XVI
- quo modo restituendum? 227. XV

N

Natiuitatis tempus legitimum 14. V
Naturalisatio quid? 20. IV
Nobilitas num transeat in adoptatum? 47. X
Noxa quid? 266. VI
Numeratio pecuniae in mutuo ab actore probanda 226. XII
Nuptiae contrahi quando possint? 30. I
- praecedere eas debent proclamatio et copula sacerdotalis 31. II
- quid? 31. III
- prohibendi ab iis qui? 33. VIIII. seq.
- inter personas religionis diuersae num permittendae? 32. VIII
- secundae num & quando contrahi possint? 32. VI
- serui et peregrini an iure Rom. eas contrahere queant, et quo cum effectu? 32. VII

O

Oblatio curiae modus legitimandi 41. II
Obligatio quid? 206. IV
- quotuplex? 206. VI
- unde oriatur? 205. II
- dandi aut faciendi 237. VII
- mixta 207. VII
- naturalis quotuplex? 207. VIII
Obseruantiae an ius constituant? 10. XXI
Occupatio modus acquirendi dominium 85. XI
Omitti hereditas cur et quando soleat? 203. IV

P

Pacis publicae fractae crimen quo modo puniatur? 271. IX
Paciscí pro altero num quis possit? 238. IX
Pactum quid? 209. I
- a contractu num differat? 209. II
- circa hereditatem acquisitiuum 143. III
- - conseruatiuum 144. IV
- - renunciatiuum 144. V
- - num ualeat de tertii hereditate? 144. VI
- - quotuplex? 143. II
- legitimum quid et quotuplex? 211. V
- nudum quid? 210. III
- non - nudum quid? 210. IV
- actiones hinc competentes 211. V. seqq.
Paraphernalia bona num ab uxore possint alienari? 115. VI
Parricidium quo modo puniatur? 271. VII
Partus tempus legitimum 14. V

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0294
DFG

Pascendi ius 131. VIII
Pauperies quasi delictum quid? 266. VI
Peculatus poena 271. X
Peculium quid? 117. IX
- quotuplex? 117. X
- castrense quid? 117. XI
- disponendi de eo cui competat facultas? 117. XI. seqq.
- quasi castrense quid? 118. XII
- profectitium quid? 118. XIII
- aduentitium quid et quotuplex? 117. X. 118. XIV
Peregrinus quis? 20. III
Periculum rei uenditae ad quem pertineat? 240. IV
Permutatio quid? 223. II
Pictura modus acquirendi 94. XXXXIII
Pignus, actio quae inde? 232. XIII
- ab hypotheca quo modo differat? 231. XI
- quid? 126. VI. 231. X
- quando restituendum? 231. XII
Plebiscita 6. X. et XI
Poenitere num hodie liceat contrahentibus? 251. V
Pollicitatio quid? 209. I
Possessio quid? 122. I
- quotuplex? 123. IV. V
- requisita eius 122. II
- continua necessaria ad usucapionem 103. XII
- actio quae hinc? 124. X
Possessorium summariissimum 123. VI
- ordinarium 124. VII
- qua ratione acquiratur? 124. VIII.
Potestas patria quotuplex? 21. VII
- - quot modis acquiratur? 24. XII. 44. I
- - hodie in quo consistat? 22. IX
- - ciuilis romana num sublata? 21. VIII
- - quibus modis soluatur? 48
Praescriptio immemorialis quid? 102. IX
Pretium pro re uendita quando soluendum? 240. V
Promissio sub conditione num ualida? 236. III.
- sub conditione negatiua 237. VI
- in diem certum quid producat? 237. V. VI
- facti alieni quantum obstringat? 238. VIII
- unius rei, postulatis pluribus facta 237. IV
Proprii homines qui? 18. XX
Pupilli contrahere num ualide queant? 66. XXXV
- indemnitatem tutori praestare tenentur 69. XLIII
- an et in quantum obligentur? 65. XXXIV. seqq.

Q

Quasi contractus quid? 252. I
- species nonnullae 252. II. 253. VI
- actiones quae hinc? 252. III. seqq.
Quasi delictum quid dicatur? 265. I
- species eius 265. II. seqq.
- actiones quae inde? 266. VII. seqq.
Querela fratris inofficiosa num euertat testamentum? 165. XVI.
- quando cesset? 165. XVII

R

Rapina quid? 259. I
- rei propriae quo modo puniatur? 259. II
- actio quae hinc oriatur? 259. I
- poena eius 260. III
Raptor quo modo puniatur? 271. IX
Regalia num a subditis praescribantur? 102. IX
Renunciatio iurata, respectu mutui, quid efficiat? 225. IX
Repetundarum crimen quo modo puniatur? 272. XI
Rerum diuisio 72
- - iure iustinianeo 74. VII
- dominium et modi id acquirendi 80
- ius 78
Res in bello captae et alias inuentae cui cedant? 87. XVIII. XIX
- ciuitatis 73. II
- corporales et incorporales 77. XIII
- ecclesiae immobiles quando usucaptae dicantur? 101. VII
- fisci, quo tempore? 102 VIII
- fungibilis quid? 222. II
- immobiles num deponantur? 230. VII
- nullius, communes, quae? 72. I. 74. V
- reipublicae quae? 73. III
- de his ea et princeps disponunt 73. IV
- sacrae, sanctae et religiosae 74. VI
- - qua ratione fiant? 75. IX. seqq.
- - non usucapiuntur 102. X
- ui ablatae ut et pupilli num usucapiantur? 102. 103. X
- uniuersitatis 73. III
Responsio ex interuallo an obliget? 236. II
Reuocatoria actio num detur? 109. X. XI

S

Sacrilegii poena 272. X
Scriptura cui cedat? 49. XLIII
Senatusconsulta 6. X. et XI
Senatusconsultum Macedonianum 224. VI
- unde dictum? 223. V
- aduersus cambium an opponi possit? 224. VII

Serui-

Seruitus quid? 16. X. 128. I
- quotuplex? 16. XI. et 128. 129. I. II. seqq.
- uenit ex pacto 16. XI
- altius tollendi 132. XI
- ferendi oneris 131. X
- fluminis recipiendi 133. XIV
- luminum 132. XII
- stillicidii 132. XIII
- personarum inter christianos non obtinet 17. XVII
Seruitutes, quas actiones producant? 139. XXX. 140. XXXII
- qua ratione amittantur? 141. XXX seqq.
- a quo constituantur? XXVI
- quo modo? 1 XIV. seqq.
- rusticae V. seqq.
- urbanae 131. X. seqq.
Seruus quis? 16. XI
- differt ab homine proprio 18. XX
- eorum numero habentur barbari captiui 18. XIX
- talis non est mercede conductus 18. XXII
Societas quid et quotuplex? 246. I
- sine lucri communicatione num subsistat? 246. II
- actio inde oriunda, et qualis culpa praestanda? 247. VII
- ad heredes num transeat? 247. IV
- mercatorum qualis? 246. III
Specificatione acquiritur 91. XXX
Speculum saxonicum quid complectatur? 8. XV
Sponsalia quid? 25. I
- requirunt testium praesentiam 25. II
- - consensum contrahentium 25. II
- - - parentum 25. III
- clandestina quid? 26. IV
- conditionata quam ualida? 27. VII. seqq.
- contrahere qui possint qui minus? 26. V
- distinctio eorum de praesenti et futuro an adaequata? 27. VI
- exceptiones contra eadem quae dentur? 29. XIII
- ex sponsalibus qualis oriatur actio? 28. XI
- bina quem habeant effectum? 28. X
- non tolluntur sola uoluntate mutua 29. XII
Spurii ex eadem matre quo modo succedant ab intestato? 179. XXX
Stipulationes an hodie dentur? 236. I
Status hominis quid et quotuplex? 13. I. seqq.
- quotuplex iure rom. 15. VII
- ratione aetatis 15 VI
- - natiuitatis 14. IV

Status

Status hominis ratione sexus 14. III
- familiae 20. VI
- naturalis et praeternaturalis, seu aduentitius 13. XI
Substitutio heredis quid? 156. I
- quibus casibus fieri queat? 156. III. seqq.
- quasi pupillaris siue exemplaris 158. VII
- actio qualis contra eam? 157. VI
Successio ab intestato quando obtineat? 186. I
- quo modo deferatur? 201. XXXIX. seq.
- adoptiui quando succedant? 190. X
- ascendentes quando? 191. XIII
- descendentes num succedant? 187. II
- quid si descendentium alii sint primi gradus alii ulterioris? 189. VIII
- num emancipati? 188. IV
- an haeretici? 189. VII
- legitimati qua ratione? 189. IX
- num legitimi? 187. III
- matrimoniis ex diuersis nati quomodo? 188. V
- num nascituri? 188. VI
- naturales et spurii quomodo? 190. XI
- num nota peculiari nati? 191. XII
- quid si parentes diuersi gradus? 192. XIV
- - si in pari gradu eodemque remotiori? 192. XV
- ex pacto 143

T

Temporis lapsus ad usucapionem requiritur. 100. V
Testamentum quid? 145. I
- quotuplex? 146. IV
- origo eius 145. I
- condere qui possint? 146. III
- qui minus? 145. II
- destitutum 170. VIII
- extraiudiciale et priuatum 146. VI
- inofficiosum quid? 162. VII
- - eius uariae species 164. XIV. seqq.
- irritum 169. VI. seq.
- iudiciale 146. V
- nullum seu iniustum 167. I
- nuncupatiui et mystici requisita 147. VIII. seq.
- ruptum quando dicatur? 167. II. seqq.
- solenne quid requirat? 147. VII
- minus solenne quibus casibus sit ualidum? 149. I. seqq.
- testes qui admittendi in eo condendo? 147. X. seq.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0298
DFG

Thesaurus inuentus cui acquiratur? 96. XLVII
Titulus necessarius ad usucapionem 100. IV
- quid? 97. L
Traditio in quo consistat? 96. XLVIII
- a quo fieri debeat? 97. XLIX
- actio quae inde? 98. LI
- iure saxonico qua ratione fieri debeat? 97. LI.
- quotuplex? 98. LII. seq.
Trebellianica quid et cui competat? 158. XXXVII. seq.
Tutela quotuplex? 53. II
- testamentaria a quibus constituatur? 54. III
- - quotuplex? 54. IV
- datiua quando locum inueniat? 56. VII. 58. XIII
- deferenda prae aliis quibus? 56. VIII. 57. XI
- - in feudis quibus? 58. XII
- - an et quando matri et auiae? 56. IX. 57. X
- qui excusentur et liberentur ab ea suscipienda? 60. XVII. seqq.
- legitima quando locum inueniat? 55. VII
- qui prohibeantur ab ea? 60. XVI
- quibus modis finiatur atque exspiret? 69. XLV. seqq.
Tutor testamentarius num ab Electoribus dari queat? 55. VI
- quibus dari possit 55. V
Tutores administrare quando dicantur? 65. XXXI
- quando auctoritatem praestare? 67. XXXVIII
- confirmandi a iudice 62. XXVI
- dari qui possint? 59. XIV. seq.
- declinare an possint curam? 61. XXII
- - et quo modo? 61. XXIII
- dolum et culpam latam praestare tenentur 68. XLI
- inuentarium conficere debent 64. XXIX
- iuramentum an ab iis exigendum? 63. XXVII
- rationem reddere tenentur 67. XL
- quam ob rem remoueantur? 70. XLVII
- satisdare num teneantur? 63. XXVIII
- quales usuras praestent? 68. XLII
- contra eos quae detur actio pupillis? et uicersa 96. XLIV

V

Venatio cui competat? 75. VIII. 85. XII. seqq.
Veneficii poena 271. VII

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0299
DFG

Via quid? 130. VI
Vindicatio rei quid? 120. XVIII
- quando ualida? 121. XXII
Vis publica et priuata quo modo puniatur? 271. IX
Vnio prolium quid? 47. XI
Votum quid? 209 I
Vsucapio quid? 99. II
- requisita eius 99. III. sqq.
- num usucapiantur res sacrae et religiosae? 102. X
- - ui ablatae ut et pupilli? ibid.
Vsus quid? 135. XX
Vsusfructus quid et quotuplex? 134. XVI
- qualis hic culpa praestanda? 134. XVIII. seq.
- quasi ususfructus quid? 134. XVII
Vxor qua ratione ab intestato succedat? 199. XXXIII. seq.

W

Weichbildum quid? 8. XV

ERRATA POTIORA:

Pag. 4. lin. 14. lege *reuelationem*. p. 7. l. 7. *domesticae*. p. 9. l. 19. *mediatarum*. p. 74. l. 19. *inferre*. p. 79. l. 3. *dominium*. p. 86. l. 14. *in fundo*. p. 105. l. 8. *actum*. p. 129. l. 7. *sit*. p. 154. §. XI. l. 4. post uerba: *digestorum iure*; apponantur: *obtinuisse, non negauerim. Iure nouo*. p. 157. l. 1. *institutus*. p. 160. l. 3. *inofficiosi*. p. 169. l. 15. *decennium*. p. 187. l. 4. *ad descendentes, dein ad ascendentes*. p. 196. §. 27. l. 2. *ciuili Imperii*. p. 215. §. 1. l. 6. lege: *lib. II. tit. 6. §. 4. sqq.* lin. ult. *SCto*. p. 219. §. XI. l. 2. *praestari* p. 233. l. 2. §. 1. *dantur*. p. 247. l. 18. *praestiterit*. p. 249. l. 3. *occidat*. p. 270. l. 17. *delicta*.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0300
DFG

ab Electoribus dari queat? 55. VI
- quibus dari possit 55. V
Tutores administrare quando dicantur? 65. XXXI
- quando auctoritatem praestare? 67. XXXVIII
- confirmandi a iudice 62. XXVI
- dari qui possint? 59. XIV. seq.
- declinare an possint curam? 61. XXII
- - et quo modo? 61. XXIII
- dolum et culpam latam praestare tenentur 68. XLI
- inuentarium conficere debent 64. XXIX
- iuramentum an ab iis exigendum? 63. XXVII
- rationem reddere tenentur 67. XL
- quam ob rem remoueantur? 70. XLVII
- satisdare num teneantur? 63. XXVIII
- quales usuras praestent? 68. XLII
- contra eos quae detur actio pupillis? et uice uersa 96. XLIV

V

Venatio cui competat? 75. VIII. 85. XII. seqq.
Veneficii poena 271. VII

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 033
Patch Reference numbers on UTT
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814422616/phys_0305
DFG